ARCANORUM
ARMINIANISMI
PARS
Secunda & Tertia.

ARCANORVM
ARMINIANISMI
PARS SECVNDA.

SEV

De fine & mediis Arminianismi

LIBRI DVO:

Quibus ostenditur,

Quid Antitrinitarij sive SOCINIANI *Hæretici qui se* REMONSTRANTIVM nomine tegunt, & Orthodoxam doctrinam de Sacro-Sanctâ Trinitate simulant, moliantur circa Religionem & Remp. adeóque totam Ecclesiam Christianam, præsertim Reformatam, tàm in his Provincijs Fœderati Belgij quàm ubivis locorum.

Ad Illustriss. & Potentiss. Ordines Generales Fœderati Belgij.

AVCTORE

NICOLAO VEDELIO, S. S. Theol. Doctore & Professore.



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud FRANCISCVM HEGERVM, *è Regione Academiæ.*

ANNO CIↃ IↃC XXXIII.

Illustrissimis & Potentissimis

ORDINIBVS GENERALIBVS

Fœderatarum Provinciarum Belgii, &c.

Dominis meis Clementissimis

Gratiam & pacem à CHRISTO IESV.

Illustrissimi & Potentissimi Domini,

DE duabus rebus gravissimi momenti, quales par est coram Celsitudine Vestrâ tractari, eâ quâ decet observantiâ & quâ fieri potest brevitate verba facturus sum. Illarum prior Religionem, altera eos qui Religionem profitentur, adeòque vos præcipuè, qui eam non solum profitemini sed etiam tuemini, concernit. Vtrobique exponam quid illi qui se Remonstrantes vocant, moliantur. Vbi, ne vos, *Illustrissimi Domini*, aliorumque qui hæc lecturi sunt animos diu suspensos teneam, uno verbo ut rem complectar, hoc illi agunt, ut apertam professionem hæresium & blasphemiarum Antitrinitariarum in Belgium atque ubivis locorum quibus insinuare se possunt, introducant; atque Reformatos omnes cujuscunque status, dignitatis & conditionis sint opprimant ac perdant.

De utroque etsi dudum suspecti fuerint apud multos, qui non ex multis sunt; tamen ipsi jam in suo Responso (quod tractatui meo de Arcanis ipsorum communi omnium nomine opposuêre & cui in præfatione seu Dedicatoriâ Epistolâ ad Amplissimum Senatum Davent riensem, communi ac publico nomi-

ne ſubſcripsêre) rem extra omnem dubii aleam poſuêre & manifeſtiſſimam fecêre. Vt totam rem non minùs perſpicuè quàm verè & ſolidè oſtendam, complectar eam duobus libris, ſed brevibus, quorum priore de fine, poſteriore de mediis Arminianiſmi agam. Veſtram Celſitudinem oro, ut pro veſtrâ erga Filium Dei, cujus cauſam ago, reverentiâ, & ſummo amore Reipublicæ, de re tanti momenti dicturum, benignè audire me non dedignemini. Quò illi homines occaſionem non habeant gloriandi, Vobis ingrata eſſe ea quæ pro cauſâ æterni Filii Dei, & Eccleſiæ, quæ abſq; Republicâ ſubſiſtere non poteſt, ut neque hæc ſine illâ, Celſitudini veſtræ ſubmiſsè & humillimè exponam. Hac enim contumeliâ per gloriationem ſuam ante hac nonnunquam ſcriptis etiam publicis auſi fuêre Celſitudinem veſtram afficere, quando monita ſalutaria, pia, humilia & vobis grata quæ ipſos concernebant, ſuggeſta vobis ab Eccleſiis fuêre. Sed vos, Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Domini, iſtam eorum audaciam non mirabimini, ubi cætera quæ ad Celſitudinem veſtram dicturus ſum, clementer cognoveritis atque intellexeritis.

MONITIO

Ad Candidum & pium Lectorem.

PRodiit tandem, benevole Lector, mense Martio hujus anni 1633. *Responsum Arminianorum, quod Tractatui meo* de Arcanis Arminianismi, *qui tunc ante annum cum semestri primùm editus erat, opposuerunt. Ei responso pro solitâ maledicentiâ suâ titulum fecère* Vedelius Rhapsodus, *seu* Vindiciæ &c. *In eo ita causam suam egerunt, ut planè deploratam eam esse, & tamen à se contra propriam conscientiam defendi, palàm fecerint. Dubitavi initiò an improbissimo, inhonestissimo & maledicentissimo scripto respondendum esset. Tandem cum vidissem id ob gravissimas causas necessarium esse; institui responsũ, quod, ne nimiâ mole Lectorem premeret adeoque ferè inutile esset, in Tres partes distincti. Quarum una* de Fine & medijs Arminianismi *agit, alia continet* Arcana nova Arminianismi; *ultima pressius* Examen Vindiciarum, *quantum necessum est, exhibet. Vides nunc igitur, optime Lector,* Secundam partem Arcanorum Arminianismi, *Nam primam voco libros duos quos antehac de Arcanis ipsorum edidi. Ideò autem secundam hanc partem non solùm seorsim edere, sed etiam in secundo hujus partis libro veluti nucleum, summam & quasi Quintam essentiam, ut loquuntur, proponere volui tùm eorum quæ ante à me dicta sunt, tùm eorum quæ Arminiani ad ea respondère; tùm denique quæ in tertiâ & quartâ Parte Arcanorum à me dicentur: quia ex re Ecclesiæ & Reip. esse putavi statum totius negocij Illustrissimis & Potentissimis Ordinibus Generalibus exponere. Constat verò, cum iis qui tot gravissimis & variis curis distrahuntur, quàm fieri potest breviter agendum esse, nec minus perspicuè quàm verè. Cæterum puto Arminianos non habere occasionem irascendi mihi aut de me conquerendi, quod hanc rem ad Illustrissimos Ordines defero. Ipsi enim mihi viam monstravère & primam hujus rei cogitationem injecère, dum in Vindiciis*

suis hinc inde ad Illustrissimos Ordines & Proceres Orationem instituunt, quâ per meum latus Religionem Reformatam, omnesque qui ei addicti sunt, præsertim Reformatos Belgas concives nostros subinde, & quidem calumniosissimè & petulantissimè, ad Illustrissimos Ordines traducunt, imò, quæ profecto non exigua audacia est, Illustrissimis Ordinibus in faciem maledicunt, nec ulli Regi, Principi, Magistratui qui Antitrinitarios tolerare non vult, coram Augusto tribunali Illustrissimorum Ordinum parcunt, sed petulantissimis conviciis eos proscindunt, ut suo loco patebit. Quare necessum fuit eos ad quos post Deum pertinet cura Religionis, Reipublicæ & omnium eorum qui ipsis parent, de toto negocio hoc moneri quantum à meâ tenuitate fieri potuit, atque manifestam fieri causam Filii Dei, causam Reipublicæ, causam Ecclesiæ nec non horrenda molimina exhiberi horum hominum quos mox, pie lector, propius, spero, cognosces. Vale, & Deum ora ut eos magis ac magis confundat, atque Potentissimis Ordinibus nec non Illustrissimo Principi Arausionensi Spiritu suo semper adsit, ac salutaria Reip. & Ecclesiæ consilia perpetuo inspiret. Scripsi Daventriæ 19. Iulij. 1633.

ARCANORVM ARMINIANISMI Partis Secundæ

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Quid Arminiani miniſtri circa Religionem moliantur proponitur, & Explicatur.

1. PROPOSITIO. *Arminianos miniſtros eſſe Antitrinitariorum ſeu Socinianorum Hæreſi ex animo addictos, ſed ſimulare Orthodoxam doctrinam de Trinitate.* 2. *Propoſitionis Explicatio.* 3. *Antitrinitarios quantopere Apoſtoli averſati fuerint; ex Irenæo.* 4. *Antitrinitarij idololatræ, ex Theodoreto.* 5. *Socinianos ſeu Samoſatenianos omnium Antitrinitariorum peſſimos eſſe ac maximè execrandos oſtenditur.* 6. *Eos non tolerandos in Republicâ, ex Veterum Imperatorum & Illuſtriſſimorum Ordinum judicio.* 7. *Antitrinitarij jurati & crudeliſſimi hoſtes Eccleſiæ.* 8 *Antitrinitariorum ſimulatorum exempla.* 9. *Antitrinitarij ſimulatores perniciosiores apertis. Quàm noxij ſimulatores in Religionis negocio ſint Principi aut Magiſtratui ſuo, oſtenditur experientiâ veteris Eccleſiæ.* 10. *Arminianorum Anti-*

trinitaria seu Sociniana hæresis circa veritatem doctrinæ. 11. Quàm cum Turcicis & Judaicis blasphemijs convenire ostenditur. 12. Alia heræsis & simulatio Sociniana Arminianorum circa Necessitatem mysterij Trinitatis, prout extra Controversiam est.

1. QVOD igitur negocium Religionis attinet, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, in eo quidem præ se ferunt Arminiani ministri, se hoc agere ut asserant doctrinam quam ipsi veram esse dictitant, de prædestinatione & annexis quatuor articulis. Sed in ea re turpissimè orbi imponunt. Prætexunt enim tantùm quinque articulos, revera autem sunt Antitrinitariorum & quidem ex Antitrinitariorum sectis omnium turpissimæ & summe blasphemæ addicti, quæ Socinianorum est, qui impietatem suam hauserunt à Paulo Samosateno & Photino Hæresiarchis, quos vetus Ecclesia ob eam rem execrata perpetuò est, & moderna tota quæ Deum in tribus personis adorat etiamnum execratur, tanquam juratos hostes Filij Dei & Ecclesiæ ipsius. Cùm autem Hæreticorum Antitrinitariorum duo antiquitus genera fuerint, unum quod apertè Hæreses illas sine ullâ larvâ ac simulatione docuit atque agnovit; alterum autem eorum qui non aperte heræses illas profitebantur, sed Orthodoxam doctrinam de mysterio adorando & Sacrosancto Trinitatis simulabant: Arminiani Theologi non ex priore sed posteriore genere sunt; qui hoc agunt ut blasphemiarum illarum professionem publicam liberam atque apertam in Ecclesiam introducant per Libertinismum tanquam medium, quod Satanas perpetuus ac vaferrimus hostis Filij Dei summe idoneum esse ad tam detestabilem rem conficiendam arbitratur. Id quod ut manifestissimum fiat, ea qua par est perspicuitate exponam prius, deinde qua decet fidelitate ac veritate ostendam.

2. Post-

2. Posteaquam igitur, *Illustrissimi Domini*, salus per Iesum Christum generi humano affulsisset, & cælestis doctrina gentibus æque ac Iudæis per Apostolos innotescere cœpisset: Satanas id nequaquam ferre potuit; sed, quod est incredibile ipsius & indefessum perdendi studium, magnis illis Viris quibus mundus dignus non erat etiamnũ viventibus, artem excogitavit novam, qua homines salute per Iesum Christum partâ privaret. In eum finem eos à viâ salutis abducendos in avia & præcipitia putavit. Quod quemadmodum ante Iesum Christum in carne manifestatum idololatriâ Ethnicâ peregerat, quâ totum terrarum orbem, exceptis paucis nonnunquam hominibus, nonnunquam hominum tribubus inundaverat: ita in posterum ob tàm evidentem veritatis lucem & tàm patentem illius virtutem negotium subtiliore & callidiore modo aggrediendum sibi duxit. Itaque præterquam quod Iudæorum & Gentiliũ furores adversus Christianos concitavit, simul etiam latentem machinam adhibuit, quâ salutis fundamentum everteret.

3. Quam in rem non amplius tantopere laborandum esse existimavit, ut à cœli viâ mortales averteret idolatriâ apertâ ac Paganâ, quâ Creatura in locum Creatoris reponebatur, sed occultâ ac clancularia quâ Creator in locum Creaturæ collocabatur. Quare veram cognitionem Dei eripiendam hominibus esse duxit per corruptelam mysterii Trinitatis. Id initiò cœpit per Hæreticos viventibus, ut dixi, adhuc Apostolis, speciatim per Simonem Magum, Ebionem, Cerinthum, quos adeò ob eam causam aversati fuêre S. Apostoli, ut referente S. Irenæo S. Polycarpi (qui ipsis Apostolis familiariter usus fuerat) discipulo cùm olim S. Ioannes Apostolus balneum lavandi causa ingressus Cerinthum ibidem esse intellexisset, continuò foras sese proripuerit, ne quidem commune tectum cum ipso subire volens, atque ad idem faciendum eos qui secum erant hortatus fuerit: *Φύγωμεν fugiamus*, inquit, *ne balneum in quo Cerinthus veritatis hostis moratur subitò concidens nos opprimat*. Ejusdem farinæ fuit Carpocrates

crates, ac poſtea Marcion, Artemon, Theodorus coriarius, Aſclepiodotus, Theodorus Trapezita, Hermophilus, Apollonius; mox Paulus Samoſatenus, Sabellius, & tota ferè reliqua Hæreticorum ſub imperatoribus Ethnicis colluvies. Quâ ferè diſſipatâ Satanas regnante Conſtantino Magno, cùm doleret jacere idololatriam, everſa templa, proſtrata idola, ad priſtinum inſtitutum continuandum rediit, & myſterium Trinitatis denuô oppugnandum per Arium ſumſit.

Theod. lib. 1. hiſt. cap. 2.

4. De qua re præclarè S. Theodoretus loquitur, cujus verba digna ſunt, quæ hîc apponam. Nam cùm dixiſſet Conſtantino Magno imperante idolorum delubra occluſa & ſtatum Eccleſiæ proſperrimum fuiſſe; addit: *Verum nequam ac invidus Dæmon, hoſtis atque pernicies generis humani, non potuit ferre ſtatum Eccleſiæ tàm proſpero ſtatu ferri; ſed ſubdola ac improba conſilia agitare cœpit quibus navigium id ab ipſo Creatore & Domino omnium rerum gubernatum everteret. Videbat Paganam impoſturam diſcoopertam, & larvam ſublatam variis illis Dæmonum fraudibus. Vnde factum ut Creatura à pleriſque non amplius adoraretur, ſed Creator illius loco coleretur. Quam ob rem non amplius apertè bellum ſuſcipiendum ſibi duxit contra Deum & Servatorem noſtrum; ſed homines quoſdam ſuſcitavit, qui quidem nomen Chriſtianorum præ ſe ferebant, reverâ autem ambitioni & inani gloriæ ſerviebant; hos inſtrumenta moliminum ſuorum reddidit. Et per illos in priorem errorem ac idololatriam plurimos induxit,* ὀ τὴν κτίσιν πάλιν προσκυνεῖσθαι παρασκευάσας, ἀλλὰ τὸν ποιητὴν καὶ δημιουργὸν συντάχθῆναι τῇ κτίσει κατασκευάσας hoc eſt *non quidem ita ut Creaturam loco Creatoris colendam proponeret, ſed efficeret ut creator & conditor rerum omnium in creaturæ cenſum ac ordinem redigeretur.* Hæc egregiè Theodoretus. Atque illis quidem temporibus per Arium, Aëtium, Eunomium & ſimilia monſtra Eccleſiam validiſſimè concuſſit, non tamen evertit. Quare novas rurſus copias contra eam ac S. S. Trinitatem educit, Macedonio, mox etiam Photino, inde Neſtorio ducibus.

5. Inter

5. Inter has abominabiles hæreses & sectas, omnium tamen fœdissimè & maximè execrandæ erant sectæ Cerinthi, Ebionis, Carpocratis, Pauli Samosateni, ac Photini cum sequacibus, qui Christum negabant naturam habere divinam, ac contendebant eum non nisi humanã naturam habere, & non fuisse antequam in utero matris conciperetur &c. Quæ Hæresis adeò abominabilis omnibus visa fuit, ut non solum Orthodoxa Ecclesia sed & Ariana secta ei atque assertoribus illius anathema diceret: prout in Sirmiensi Concilio Ariano sub Constantio Imperatore factum, in quo anathema dictum Photino Episcopo Sirmiensi, atque ipse in exilium ob eam causam ejectus fuit, ut videre est apud Socratem & Sozomenum. Et certè longè pejores sunt Arianis; utpote qui etiamsi veram Deitatem atque æternam filii Dei oppugnent, tamen non eò progrediuntur quò Samosateniani seu Photiniani. Dicunt enim Ariani Christum fuisse ante omnes creaturas & primum esse omnium creaturarum. At Somosateniani & reliqua istius ordinis monstra negant eum extitisse nisi postquam post infinitas alias creaturas ex Maria matre adeóque post quatuor millià annorum natus fuit. Hanc Cerinthi, Pauli Samosateni (cujus vitia, præsertim autem inauditam superbiam & ambitionem descripta videre est à Synodo Antiochenâ in Epistolâ Synodicâ apud Eusebium) Photini, cæterorumque ejusdem exedræ hominum sepultam resuscitavère Patrum nostrorum temporibus Lælius Socinus & Faustus Socinus. sed hic posterior majore longè studio versutâ & conatu, utpote qui reliquum nihil fecit ad Turcicas illas & Iudaicas blasphemias excolendas. Vnde isti qui ista execranda dogmata Pauli Samosateni, & Photini sequuntur, non solùm Samosateniani & Photiniani sed etiam Sociniani dicuntur. Eo usque autem progressa est Diabolica Socini & sequacium impietas, ut non contenti blasphemâ doctrina ista Turcicâ & Judaicâ, qua statuunt in unâ essentiâ divina non esse tres personas, Christum non habere naturam divinam, non fuisse antequam nasceretur, Spiritum S. non esse

Socrat. lib. 2. cap. 24. Sozom. lib. 4. cap. 5.

Euseb. lib. VII. cap. 24.

personam Deitatis: etiam cõtumeliis extraordinariis & aliis blasphemiis Sacrosanctam Trinitatem petant, *idolum* appellent, item *Deum imaginarium, ridiculum humanæ curiositatis inventum, Deum tripersonatum* &c. In quibus blasphemiis Socinus & alii ipsi similes abominandi homines sequuntur vestigia Serveti qui S. S. Trinitatem idolum, item Cerberum tricipitem vocabat. Loca Scripturæ illa quibus negare nullo modo possunt Christum Deum vocari ita depravant ut contendant eum non ideò Deum vocari quod divinam naturam habeat, sed eâ significatione impropriâ quâ etiam homines & aliæ creaturæ *Dii* in Scripturâ vocantur; quo sensu se Christum pro Deo habere dicunt.

6, Vnde patet merito Antitrinitarios speciatim Samosatenianos, qui hodie Sociniani sunt, pro hostibus filii Dei semper ab Ecclesiâ Vetere & modernâ habitos esse. Quam ob rem veteres Imperatores Christiani Antitrinitarios Doctores speciatim Samosatenianos non tolerandos in Republicâ esse judicarunt. Quod exemplum pium vos *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, imitati estis cum Ostorodius & Voydovius Sociniani in has provincias venissent & venena sua illis propinare conati fuissent.

7. Cæterum quemadmodum Antitrinitarii hostes ipsius Filii Dei sunt, ita acerrimi quoque crudelissimique hostes Ecclesiæ perpetuò fuêre: quem suum animum occultare ut plurimùm norunt quamdiu quidem explere eum non possunt. Verùm enimverò ubi rerum potiuntur, & in suam sententiam perduxêre Reges, Principes, Magistratus; ibi demum prodere incipiunt virus acerbitatis suæ. Testis est experientia veteris Ecclesiæ sub Constantio & Valente Imperatoribus; quos cum seduxissent Antitrinitarii, Deus bone! quantâ crudelitate Ecclesiam, Doctores, populos persequuti sunt! igni dico, ense, aquâ, laqueo, exilio, carceribus, cædibus promiscuis sexus utriusque, Ecclesiarum dissipationibus; in summâ nihil Tyrannidi reliquum fecêre per plurimorum annorum decursum prout ex historiâ veteris Ecclesiæ videre licet.

8. Dixi autem fuisse subinde duo genera Antitrinitariorum

prout etiam aliorum Hæreticorum. Vel enim apertè profitebantur, docebant & propagabant Hæreses suas; vel non apertè eas profitebantur; sed simulabant doctrinam Orthodoxam de Trinitate, quam animitus detestabantur, contrà verò clanculum & per artes ubi commodum erat, venena sua spargere conabantur. Talis simulator Antitrinitarius fuit aliquando ipse Arius cùm ab exilio revocatus esset. Tales erant Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicenus Episcopi; item presbyter ille Arianus qui in Constantini M. familiam specie Orthodoxæ doctrinæ sese ingessit, ac postea sub Constantio gravissimam persecutionem contra Ecclesiam concitavit. Tales simulatores erant Leontius Antiochenus, Eudoxius Constantinopolitanus, Eunomius Cyzicenus Episcopi; qui etsi Orthodoxam doctrinam in cæteris apertè cum Ario oppugnarent, metu tamen Constantii eam partem doctrinæ Orthodoxæ simulabant, quæ Aëtii blasphemiis opposita erat. Vt jam alia exempla simulatorum Antitrinitariorum, quæ allegarē possem, non commemorem.

9. Tales simulatores Antitrinitarii longè magis noxii sunt Principibus, Magistratibus, populis Orthodoxis, quàm qui ex professo hæreses illas docent; non secus ac hostis occultus & latens aperto perniciosior est, eoque magis cavendus. Nam præterquàm quòd simulatores speciatim Antitrinitarii Ecclesiæ perniocissimi sunt, dum non solùm hoc agunt ut Orthodoxos Principes, Magistratus, ac populos seducant & eos blasphemis suis dogmatis inficiāt, sed etiam gravissimas persecutiones contra Ecclesiam suscitare conantur, prout Ecclesia vetus experta est tùm in aliis tùm speciatim in Presbytero illo Ariano cujus paulò antè mentionem fecimus; testatur etiam experientia Veteris præsertim Ecclesiæ, eos Regibus, Principibus, aliisque Magistratibus in aliis quoque partibus summè noxios esse. Primò enim labem adspergunt magnam iis Principibus & Magistratibus, qui eos tolerant: id quod Constantino Magno contigit, cujus κηλῖδα hoc est *maculam* vocat ipse laudator ejus Eusebius, quòd simulatores quosdam in aulâ suâ habebat, quos ipse μοχθηροὺς seu nebulo-

Euseb. vit. Const. M. lib. 4. cap. 54.

bulones vocat, qui ſimulabant Religionem veram, & eum ad mala conſilia abripiebant. *Deinde* Rex, Princeps, Magiſtratus dum ſimulatores fovet in negocio Religionis, ſerpentem in ſinu fovet, qui ſæpè viſcera ejus arrodit & illius vitam atque imperium evertere conatur. Expertus eſt hoc Conſtantius Imperator cui magno conſtitit, quod presbyterum illum ſimulatorem, nec non Julianum qui Chriſtianam Religionem ſimulabat, foviſſet adeò ut hunc etiam Cæſarem declararet ac in Imperii ſocietatem adſciſceret. Nam hic potentiam quam à benefactore nactus erat in ipſius noxam convertit, arma contra Conſtantium ſumſit, & eum Imperio planè ſpoliare conatus eſt: ille eum à verâ Religione ad Arianam hæreſin abduxit. Vnde factum ut Conſtantius in expeditione contra Iulianum ſuſceptâ præ mœrore & dolore animi, tùm quod Iulianum foviſſet, tùm quod Presbytero illi fidem adhibuiſſet & ab Orthodoxa Religione defeciſſet, mortuus fuerit. Cauſa verò cur Antitrinitarii non ſemper apertè profiteantur hæreſes ſuas, ſed eas nonnunquam diſſimulent, & Orthodoxam doctrinam ſimulent, in eo poſita eſt, quod metus Regis, Principis, Magiſtratus nonnunquam etiam populorum obſtat quò minus erumpere audeant. Vnde ſimulant ad tempus Orthodoxam doctrinam, dum viam ſibi ſtraverint per cuniculos, quibus hæreſin ſuam tanquam aliud agentes animis Principum, Magiſtratuum & populorum inſinuent, aut ſaltem illius odium animis eorum eximant, quò liberè eam docere ac profiteri poſſint.

Theod. lib. 2. cap. 32. & lib. 3. cap. 1. Socrat. lib. 2. cap. 3.

10. Cæterùm cùm dico Arminianos Theologos Antitrinitarios eſſe, non ea eſt mens mea, quaſi ex priore genere Antitrinitariorum eſſent. Nequaquam. Conſtat enim eos profiteri doctrinam Orthodoxam de Trinitate, prout ex confeſſione fidei & aliis ipſorum ſcriptis eſt manifeſtum. Sed hæc mens mea, hæc certa veritas eſt, nimirum eos ex poſteriore genere Antitrinitariorum eſſe, ac ſimulare doctrinam Orthodoxam de adorando illo myſterio, contra propriam mentem quâ Socinianorum Turcicis & Iudaicis blaſphemiis penitus addicti ſunt.

11. Turcicas dico & Iudaicas blasphemias. Etenim dogmata ista Socinianorum æquè falsissima ac execranda communia sunt Turcis Iudæis & Socinianis; *Iesum Christum nunquam habuisse, neque etiamnum habere divinam naturam; sed tantum habuisse naturam humanam*: Item, *in unâ essentiâ divinâ non esse tres personas sed tantum unam*. Ad Turcismum tamen quàm Iudaismum in eo magis accedunt Sociniani, quod Iesum Christum non penitus extinctum esse, sed etiamnum vivere & in excellente dignitate constitutum esse dicunt, propter quam eum Deum appellari dicunt Sociniani, ut antè monui; qua significatione ne Turcæ quidem Christo titularem Dei honorem negarint, utpote quem pro magno Propheta & Messia habēt. Vnde Samosatenianismus seu Socinianismus ex quo in lucem ex inferis rursus productus est perpetuo pro vero semine & fundamento Turcismi habitus fuit. Etenim Turcismus ut ex alijs sectis & hæresibus, ita etiam ex Samosateniana hæresi conflatus fuit à Mahomete, qui inde doctrinam falsam ac hæreticam suam de essentia divina petijt. Hinc meritò Turcæ inter Hæreticos Antitrinitarios à Theologis recensentur.

12. Porrò impietas Hæreticorum Socinianorum circa mysterium Trinitatis non in eo solum consistit; quod negant Orthodoxa dogmata mysterij illius & ea in controversiam vocāt: sed etiam quod ipsum mysteriū prout extra Controversiam est & prout jacet, non habent pro necessario ad salutem: nīmirū *in Deitate esse patrem, Filium, Spiritum S.* seu *Deum esse patrem Filium, Spiritum S.* prout ex eorum Cathechismo infra patebit. Circa utramque hanc rem Arminianos simulare Orthodoxā doctrinam de Trinitate, sed revera Antitrinitariorum seu Socinianorum hæresi addictos esse palàm faciam. Atque hæc quidem hactenus à me exposita sunt in eum finem, ut status quæstionis, quantum ad hoc attinet h. e. quantum ad id quod Arminiani in negocio religionis moliuntur, rectè percipi possit.

CAP. II.

Primum argumentum quo ostenditur Arminianos ministros esse simulatores Antitrinitarios.

1. Argumentum primum ex eo petitum, quod Arminiani Antitrinitarijs anathema dicere nolunt. 2. Soliditas hujus argumenti ostenditur ex veteris Ecclesiæ experientia. 3. Objectioni duplici occurritur.

1. SEquitur nunc, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, ut probem quod proposui, ac palam faciam *Celsitudini vestræ*, Arminianos Theologos sive ministros esse simulatores Antitrinitarios. Hìc initiò unusquisq; videt, ut constet eos tales esse non ex ipsis quærendum esse, an'ne sint simulatores Antitrinitarij, seu an'ne simulêt tantum Orthodoxam doctrinam de Trinitate, revera autem & ex animo Socinianorum blasphemiis addicti sint? Ideo enim simulant doctrinam Orthodoxam ut latêre possint, idq; ob metum vestri, *Illustrissimi Domini*, nec non *Illustrissimi & fortissimi Herois ac Principis Arausionensis*, deniq; populorum tā Orthodoxorum quā plerorumq; ex illis quos seduxerant, qui cum talibus hominibus h. e. Socinianis nihil negotij sibi esse volêt. Et non solent simulatores quamdiu Magistratus Orthodoxus est, apertè fateri se revera Antitrinitarios esse, vel alioquin huic aut illi hæresi addictos; nisi inter eos qui aut eadem hæresi cum ipsis infecti sunt, aut quos putant eâ infectos esse; aut quādo rebus suis desperatis melius inter homines hæresi illi addictos quam inter Orthodoxos res suas facere possunt, aut deniq; quando Regi, Principi, Magistratui Orthodoxo talis succedit, qui ipsorū hæresi addictus est, prout à me ex experientia veteris Ecclesiæ in Tractatu de prudêtia veteris Ecclesiæ l. 2. c. 6. est ostensum. Itaq; constat ex Arminianis ministris illud quidem quærendum non esse, nec etiam per consequês quærendum ex ipsis est, anne confiteantur, doceant, credant *J. Christum habere naturam divinam, esse tres personas in una eademque essentia divina*, &c. Nam, ut dixi, illud palam ore profitentur. Itaq si quis ea ratione veritatē rei scire cuperet, profectò vehementer falleretur, imò studio se & alios decipere vellet. Quare aliâ ratione ad illius rei veritatisque cognitionem est perveniendum.

Inquiet aliquis; ecqui igitur sciri potest, eos simulatores esse in doctrina de Trinitate, quandoquidē de arcano & recessu mentis agitur, in quā alius homo penetrare non potest. Sciri, inquam ego, eodē modo illud potest, quo deprehēditur ille qui in Politicis aut in quotidiana

na conversatione simulatorē agit. Vt enim talis ex eo simulator esse deprehēditur, quia se ipsum tandē ut sorex suo indicio prodit: ita etiā simulatores in negocio religionis seipsos agēdo & docendo produnt, idq justo Dei judicio excœcantis ipsos ut imprudēter ex latebris suis prodeant tunc cum versutissimè artibus suis se defungi putāt. Qua in re attendendū est ad experientiā Ecclesiæ Veteris præsertim, cui sæpè cum talibus monstris magno suo cum malo negocium fuit; ex cujus experiētia certissima indicia habemus quibus homines tales sese prodere solent Sunt autem illa varia pro varia cōditione hominum neq; enim omnia unicuique statui & conditioni conveniunt. Vt enim aliæ sunt actiones publicæ eorum qui in Ecclesia docent, aliæ eorum qui docendi partibus in ea non defunguntur; & rursus aliæ sunt actiones eorum docentium qui aliis docētibus præsunt, quales sunt Episcopi & similes; aliæ autem eorum qui aliis docentibus non præsunt: deniq; varia & diversa tempora sunt quæ aut ex voto aut contra votum simulatorum fluunt: ita diversæ etiam sunt rationes quibus aut hi aut illi hoc vel illo tempore in negocio religionis simulantes, sese ipsos palam faciunt Qua de re pluribus in tractatu allegato est actum.

Dixi autē Arminianos simulare Orthodoxam doctrinā de Trinitate, revera autē Socinianorū hæresi Antitrinitariæ atq; ex animo addictos esse, primò circa veritatē dogmatum quæ ab Antitrinitariis in controversiam vocātur: secundò circa necessitatem mysterij ejusdē, prout extra controversiam est. Vtrumque ordine suo ostendemus.

Prius quod attinet, patet illud primò ex eo, quod, cum verbis profiteantur doctrinam Orthodoxā de Trinitate, nolunt tamē anathema dicere Antitrinitariis Hæreticis, eorumque blasphemis dogmatibus quibus oppugnant eā doctrinā; h.e. nolunt pronunciare & declarare ea dogmata Antitrinitariorum esse Hæretica, saluti animarum exitialia, adeoque Socinianos ob ea Hæreticos esse. Hoc cum ipsis objectum esset à Cl. Prof. Leyd. persistunt in ea voluntate sua in responsis quæ D.D. Professoribus opposuerunt. Cum idem postea ipsis à me objectum esset in parte prima Arcanorum Arminianismi; pariter persistunt, in Responso quod mihi opposuēre, atq; illius rei prætextus varios allegant. Atqui profiteri Orthodoxam doctrinam circa

mysterium Trinitatis; & tamen anathema nolle dicere, aut non nisi post multam tergiversationem & coactè, Antitrinitariis; certissimum indicium est quo simulatores Antitrinitarij se produnt, quocunq. tãdem prætextu se palliare velint: quemadmodum cõtrà omnes & Imperatores & Doctores Ecclesiarum & populi Orthodoxi atq; Antitrinitariorum hæresibus adversarii sine ullâ præcedaneâ difficultate aut tergiversatione ipsis & dogmatis eorum anathema perpetuo & constanter dixerunt. Cujus rei causa in eo posita est quia tota Ecclesia vetus & moderna quæ Deum in tribus personis adoravit & adorat, dogmata illa Orthodoxa de Trinitate simpliciter necessaria ad salutẽ esse rectè ex verbo Dei judicavit. Quod ideò à me dicitur, ut ne quis existimet me hoc modo argumentari: eum esse simulatorem qui alicui erranti quisquis ille tandẽ sit anathema dicere non vult. Absit: constat enim Orthodoxam Ecclesiã Veterem & recentem non omni erranti anathema dicere. Sed infero eum esse simulatorem Antitrinitarium, qui Antitrinitariis anathema dicere non vult: quod tamen ab uno quoque Christiano dicendum est qui a oppugnant dogmata talia quæ non solùm vera sunt sed etiam necessaria ad salutem, adeoque Hæreticos sese esse ostendunt.

Sozom. lib. 2 cap. 20. 2. Hoc autem indicium simulationis in eo negocio certissimum esse docet experientia veteris Ecclesiæ, quæ quando volebat ut quis se purgaret à crimine hæreseos speciatim Antitrinitariæ, in more habebat postulare ab eo ut anathema diceret Hæresi illi cujus erat suspectus: quod qui recusabat eo ipso manifestam faciebat Ecclesiæ simulationem suam, atque ideò, utpote qui reverâ Hæresi illi addictum se ostendebat, condemnabatur. Ne quis de ea re dubitet exempla aliquot illustria valdè commemorabo.

Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicenus Episcopi declararant in Syn. Nicena corã Const. Mag. & trecẽtis ac octodecim Episcopis se adstipulari doctrinæ Orthodoxę. Ibi illi simulationem suam detexêre. Recusârunt enim Anathema dicere Ario. Simulatione igitur & hæresi illorum eo modo detecta Imperator eos cum Ario in exilium ejicit. Et profectò eventus confirmavit istos duos simulatores fuisse. Nam Const. Mag. mortuo larvam planè posuêre & gravissimis malis Ecclesiam affixêre. Ejus-

Ejusdem rei exemplum nobis præbent, quæ in Synodo Ariminensi sub Constantio gesta fuêre, circa quinque alios Episcopos qui profitebantur se Orthodoxæ doctrinæ circa idē mysterium addictos esse. Ij erant Ursacius, Valens, Eudoxius, Auxentius, Demophilus. Suspecti erant homines hi Patribus Orthodoxis Synodi illius, qui postulant, ut, si credi sibi velint & probare se nihil novi cōtra Orthodoxam doctrinā moliri, Anathema dicerent hæresi Arianæ Recusant illi. Quare à Synodo abdicati & privati Episcopatus munere fuerunt. Confirmavit eventus æquissimum hoc judicium. Etenim homines hi larvam tandem pariter posuêre, & apertos hostes filij Dei ac persecutores Ecclesiæ se facto ipso declaravêre.

Athan. Epist ad Afros. Theod. lib. 2. cap. 23. Sozom. lib. 4. cap. 16.

Par exemplum suppeditat Concilium Constantinopolitanum sub eodē Imperatore habitū Profitebatur Eudoxius Antiochenus tunc quidem temporis Episcopus doctrinam Orthodoxā oppositā hæresi Aëtij, qui statuebat filium Dei dissimilē esse Patri; id quod Ecclesia Orthodoxa negat: imò ipse Arius cum illa id negabat Benè igitur hactenus Eudoxius Suspectus tamen erat cæteris. Itaq; cum conquesti essent de ea re apud Imperatorem qui Concilio intererat: respondit Imperator & quidem sapienter: οὐ χρὴ στοχάζοντας τοὺς δικάζοντας κρίνειν, τὰ δὲ πεπραγμένα σὺν ἀκριβείᾳ ζητεῖν *non decet* inquit, *ut Iudices ex conjecturis meris judicent sed ut ea quæ gesta sunt accuratè pervestigēt* Benè, ô Rex, inquit Eustathius Armenius Episcopus, quò igitur omnes credere possimus Eudoxium Aëtianæ hæresi addictū non esse, jube ut anathema dicat doctrinæ Aëtij. Imperator rem hanc æquissimam judicat ac proinde mādat Eudoxio ut id faciat Ibi Eudoxius tergiversari & multos prætextus allegare, quibus effugeret postulatum illud. Imperator hoc videns ira accenditur, aitque se probè jam videre Eudoxium Aëtianæ hæresi addictum esse, ac minatur nisi ei renunciet ac anathema dicat, se in exilium ejecturum esse ipsum. Ibi tum scelestus ille metu exilij impulsus post tantam tergiversationem anathema dicit propriæ suæ sententiæ quam & tunc animo fovebat, & postea pertinaciter ad finē vitæ usque retinuit prout res postea gestæ docuêre, adeoq; etiam in Eudoxio hoc palàm fecêre, eos qui nolunt aut tergiversātur anathema dicere Antitrinitariis, ipsorum hæresi addictos esse. Videt hic unus-

Theodor. lib. 2. cap. 27.

nus-

nusquisq; non solum Episcopos, sed etiã Constantium utut alioquin hostem Orthodoxæ doctrinæ de Trinitate judicâsse eos esse hæresi Antitrinitariæ Aëtianæ addictos qui illi anathema dicere nollent. Et probè observandum est Imperatorē cum prudenter dixisset non esse conjecturis utendum in tãtâ re; judicasse hoc probationis genus quo quis judicatur Hæresi illi addictus esse cui anathema dicere non vult, non esse conjecturale sed firmũ & solidum. Habemus igitur judicium istud Ecclesiæ Orthodoxæ firmatum testimonio ipsorum hostium, Constantij sc. & Episcoporum Arianorum qui juxta cum paucis Orthodoxis numero plurimi interfuêre Concilio illi dissentientes æquè ab Orthodoxis quam ab Aëtio Hæresiarcha & sequacibus illius. Eadem ratio est aliorum simulatorum Hæreticorum, prout à me alibi est ostensum exemplo simulatorum Eutychianorum plurimorum in Concilio Chalcedonẽsi. Sic igitur manifestum est, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, quod dixi; eos Doctores qui profitentur doctrinam veram de Trinitate & tamen Hæreticis Antitrinitariis anathema dicere nolunt aut tergiversantur antequam illis anathema dicant, reverâ esse ex posteriore genere Antitrinitariorum; adeòque Arminianos qui a illis eorumq; doctrinæ anathema non dicunt, sed contrà faciendũ esse cõtendũt, eo ipso ostẽdere se reverâ & ex animo Antitrinitarios esse.

3. Inquient Arminiani se non ideò nolle Antitrinitariis anathema dicere, quod ipsi animo suo probent dogmata eorum sed se id facere ob alias causas; exempli gratiâ quod videre non possint dogmata Orthodoxa de Trinitate esse necessaria ad salutem; item quod sentiant non ita facilè esse damnãdos tot homines; & ob alios prætextus quos allegant aut allegare possunt. Ita quidem, inquã ego, Arminianos responsuros dubium nullum est. Sed ex dictis patet, eas causas quas allegãt & quæ in se summè frivolæ sunt, meros & vanos prætextus esse, quibus Orbi imponere volũt ut latere possint & tegere hæresin Socinianam. Etenim primò ostendi ex Ecclesiæ experientiâ causam verã, ob quã ii qui profitentur doctrinam Orthodoxam de Trinitate & anathema dicere nolunt Antitrinitariis, esse hãc, quod hæresibus illorũ ex animo sint addicti. Deinde ii qui in vetere Ecclesiâ simulatores erant Antitrinitarii, certè non adeò simplices erant ut dicerent se ideò

nolle

nolle dicere anathema Antitrinitariis, quod probarent dogmata eorum, sed habebant suos prætextus & allegabant causas multas, propter quas non possent dicere anathema Antitrinitariis, etiamsi improbarent eorum dogmata, quemadmodum ipsi quidem dicebant, & probarent sententiam Orthodoxam. Hoc videre est manifestissimè ex modo allegato exemplo Eudoxij, de quo Theodoretus ait quod *πολλαῖς ἐκέχρητο μηχαναῖς ἐκκλῖναι τὴν πρόκλησιν multis usus fuerit artificiis quibus declinaret istud postulatum, quo jubebatur anathema dicere Aëtio.* Quod Eudoxij exemplum Arminiani strenuè imitantur.

Inquiet secundo loco aliquis. Esto; Arminiani hactenus anathema dicere noluerint Antitrinitariis: modò illud in posterum faciant, ubi id ab ipsis postulatum fuerit. Respondeo: me vix dubitare quin ubi viderint rerum suarum necessitatem illud requirere, & periculum sibi impendere, anathema dicturi sint Antitrinitarijs in eum finem ut periculum effugiant ac tempori inserviant, usq; dum melior occasio & faventior tempestas ipsis sese offerat. Docet enim experientia Ecclesiæ Veteris præsertim, solere simulatores nonnunquam anathema dicere propriæ suæ sententię & fidei contra propriam conscientiam. Sunt enim Antitrinitariorum simulatorum duo genera. Quidam sunt audaciores, qui malunt quidvis pati quàm suæ sententiæ quam animo fovent anathema dicere. Tales erant Episcopi illi sex paulò ante à nobis commemorati, Eusebius Nicomediensis, Theognis, Valens, Ursacius, Auxentius, Demophilus. Alij autem sunt timidiores & improbiores prioribus, qui omni conscientiæ nuncium mittunt metu periculi aut spe præmij; unde fit ut publicè execrentur doctrinam quam animo fovent. Talis erat Eudoxius Antiochenus, ut paulò antè vidimus, qui metu exilij & amittendi Episcopatus propriæ suæ fidei anathema dixit. Quod magis est, ipse cum aliis simulatoribus, qui Concilio isti Constantinopolitano interfuêre ex quorum numero Eunomius fuit scripsit Epistolam Synodicam ad Georgium Episcopum Alexandrinum, in qua Aëtium quem diligebat Theod.
etiam tùm temporis, gravissimis conviciis proscindit, ejus scripta lib. 2.
vocat nefaria, scandalosa, scelerata, ideòque se & reliquos meritò cap 28.
anathema illi denunciasse ait. Vocat eum auctorem offendiculo- 29.

rum,

rum, turbarum, seditionum Subscripsit eidem Epistolæ contumeliis plenissimæ Eunomius, quamvis etiam hæresi Aëtij ex animo addictus esset, & in scriptis suis Aëtium ad cœlum usque extulisset, atque inter alia Elogia quibus eum ornarat, hominem Dei vocasset, &c ex quo videre est horrendam & scelestam indolem simulatorum Antitrinitariorum.

Theod. lib. 4 cap 10. Eadem est indoles & consuetudo aliorum simulatorum Hæreticorum. Messaliani Hæretici seu Enthusiastæ quia non tolerabantur ab imperatoribus sed in exilium ejiciebantur & monasteria eorum comburebantur, simulabant Orthodoxam religionem ac si fortè quis ex suis deprehensus esset ab Orthodoxis; ipsi excommunicabant eum & damnabant, ut apud Theodoretum videre est.

August. cont. mendac. cap. 5. Priscillianistæ etiam metu periculi simulabant Orthodoxam religionem, ac anathema dicebant Priscilliano ac ejus dogmatis, contrà verò ad cœlum extollebant Episcopos Orthodoxos, eos præsertim qui se Priscillianistis strenuè opponebant, ut Augustinus testatur.

Idem August. de hæres. cap 88. Sic denique Pelagius damnari metuens à Synodo Palæstinâ anathema dixit propriæ suæ hæresi quam tamen pertinaciter retinuit, & in scriptis suis posterioribus defendit, eodem Augustino teste. Ex his manifestũ est primò quid soleant facere simulatores Hæretici, speciatim Antitrinitarij metu aut spe ducti. Deinde per consequẽs vix dubium esse quin Arminiani qui ipsi in Vindiciis suis fatentur se inter spem & metum hærere, anathema dicturi sint Antitrinitariis, ubi periculum sibi seriò impendere viderint. Tertiò patet non fidendum esse simulatoribus in negocio religionis, ubi semel deprehensa est ipsorum improbitas ac simulatio; quamvis postea anathema dicant hæresi, cui antea anathema dicere nolebant. Vnde jam unicuique sapienti, ac qui se ipsum & alios decipere non vult, dijudicandum relinquo, an'ne fidem debeat habere Arminianis, ubi post tot & tantas tergiversationes dixerint fortè, se velle anathema dicere Antitrinitariis.

CAP.

CAP. III.

Secundum genus argumentorum quo idem probatur.

1. *Eadem veritas, nimirum Arminianos Socinianæ hæresi ex animo addictos esse; probatur ex doctrinâ eorum de consequentijs & argumentis quibus doctrinâ orthodoxa de Trinitate è Scripturâ elicita est ac demonstratur.* 2. *item ex doctrinâ eorum de modo tractandi mysterium hoc in Ecclesiâ Christianâ.* 3. *ex doctrina eorum de absurdis quæ dicunt sequi ex doctrinâ Orthodoxâ, de Trinitate.*

1. Atque hoc unum est, *Illustrissimi & Potentissimi Domini,* quod vel solum sufficere posset ad ostendendam atque extra omne dubium ponendam hanc veritatem, nimirum Arminianos simulare tantum Orthodoxam doctrinam de Trinitatis Sacrosancto mysterio, reverâ autem Antitrinitariorum sive Socinianorum hæresi ex animo addictos esse. Ut tamen res ex abundanti clarior fiat, proferamus etiam quædam alia indicia certissima, quibus hi homines ut sorices se ipsos produnt. Hic brevitatis studio non allegabo omnia indicia certa ac verissima quibus simulatores Hæretici se prodere solent, quæ à me in tractatu de prudentiâ veteris Ecclesiæ exposita sunt, & Arminianis verissimè applicari possunt; Sed commemorabo saltem dogmata quædam Arminianorum, ex quibus manifestum fiet, an'ne quemadmodum ore profitentur doctrinam Orthodoxam de mysterio Trinitatis, ita etiam animo suo illam pro verâ habeant, nec ne.

Docent igitur, dogmata ista Orthodoxa de Trinitate quæ Antitrinitarii negant non esse educta ex Scripturâ per evidentem & necessariam consequentiam, nec etiam ῥητῶς seu conceptis verbis in Scripturâ exstare. Certè qui rejicit doctrinam Romanensium de traditionibus, ut ipsi Arminiani faciunt, & tamen tali loco habet dogmata Orthodoxa de Trinitate, ut credat ea nullo modo exstare in Scripturâ hoc est nec ῥητῶς nec per evidentem &

necessariam consequentiam, ille non potest ea in animo suo pro veris habere. Dogmata autem illa sunt ut diximus præcipuè hæc: in unâ essentiâ divinâ esse tres personas, Iesum Christum esse verum Deum ejusdem essentiæ cum Patre, adeóque Christum non habere tantùm naturam humanam sed etiam divinam. Hæc dogmata Arminianis non continentur in Scripturâ nec ῥητῶς nec per evidentem & necessariam consequentiam. Ea non esse in scripturâ contenta per evidentem consequentiam docent in Apologiâ Cap 1. fol. 32. 6. id quod ipsis objeceram Arcanorum lib. 1. c 7 p. 57. quod quia non negant in Responso seu Vindiciis suis, ideò locum illum non repetã. Ex quo patet eos dogmata illa non habere pro iis quæ è Scripturâ educta sint per necessariam consequentiàm. Nam si per evidentẽ consequentiam non sunt educta è Scripturâ, certè etiam necessariæ veritatis non sunt. Id enim dogma Theologicum est evidentis veritatis seu per consequentiam evidentem eductum è Scripturâ, cujus necessaria hoc est certa veritas evidens est. Hinc etiam Vindiciarum lib. 1. c. 7. p. 38. non dicunt *ea* dogmata educta esse è Scripturâ per consequentias sed tantũ dicunt *deduci à multis per consequentias* item profitentur se non agnoscere eas consequentias pro necessariis sed relinquere illud in medio, ac simul dicunt ea dogmata non exstare; ῥητῶς in Scripturis: ibidem vocant consequentias illas controversas; controversum autem & verum, item controversum & certissimum inter se opponunt. Ita enim loco illo vindiciarum pag. 38. *Remonstrantes oderunt istos audaces assertores* (hoc est, Reformatos Lutheranos & Pontificios qui statuunt ea dogmata esse necessaria ad salutem) *& damnatores in re tam arduâ. Reverentia mysterii tanti facit ut statuere quicquam non audeant nisi quod certissimum est & omni exceptione majus. Et quanquam vident ista dogmata ῥητῶς in Scripturis non exstare, sed per consequentias inde deduci à multis, suspenso tamen ad huc gradu incedant, ne quid divinâ Majestate indignum sentiant aut profiteantur; & an consequentiæ istæ necessariæ sint in medio relinquere malunt, quam in alterutram partem inclinare judicium, solius supremi & admirandi Numinis*

reveren-

reverentiâ. Item: *De Deo etiam vera dicere periculosum censebat olim Augustinus: quid ergo? an non magis periculosum esse censetis si per consequentias controversas de Deo asseratur quicquam cum myriadum innocentium* (ita vocant blasphematores Antitrinitarios) *damnationibus ac anathematismis.* Sic igitur illi consequentias illas ita controversas vocant ut eas contradistinguant illi quod verum est: non secus ac id quod controversum contradistinguunt certissimo Apol cap. 3. fol. 51. a. *Aliud est*, inquiunt, *Christum idcircò adorandum esse quia est Deus æternus: aliud Christum idcircò Deum esse æternum quia adorandus est. Illud certissimum est, hoc controversum.* Quasi verò etiam dogma verum controversum non sit certissimum! Observetur quod dicunt se reverentia merâ Numinis ita sentire: quæ profectò mera hypocrisis est. Nam dicunt reverentiam Numinis obstare quò minus ea dogmata & consequentias eas pro necessariis habeant; & tamen reverentia Numinis eos commovere non potest ut pro peccato habeant hæreses & blasphemias illas Turcicas Antitrinitariorum oppositas illis dogmatibus. Observetur etiam quod ibidem dicunt se etiamsi vident ista dogmata opposita Socinianis ῥητῶς in Scripturâ non exstare, sed tantum à multis deduci per consequentias è Scriptura tamen ADHUC suspenso gradu incedere. Quid hoc sibi velit, unusquisque sapiens facilè intelligit: nimirùm eos nondum apertè velle profiteri Socinianismum sed adhuc expectaturos, usque dum id tutò facere possint. Nam non dicunt: *Remonstrantes quanquam vident dogmata Socinianorum in Scripturis non exstare, sed per consequentias inde deduci à multis, suspenso tamen adhuc gradu incedunt & non condemnant ideò Socinianos.* Ita non loquuntur, sed dicunt: *Remonstrantes quanquã vident ista dogmata* (Orthodoxa de quibus in præcedentibus verbis loquuti erant) *non exstare in Scripturis, sed per consequentias inde deduci à multis, suspenso tamen adhuc gradu incedunt.* Quibus verbis quis non videt Arminianos velle hoc dicere: se quidem causas habere gravissimas cur apertè ea dogmata rejiciant & non solum declarent ea non esse necessaria ad salutem sed nec vera quidem esse, quia scilicet nec ῥητῶς nec

per evidentem ac necessariam consequentiam in Scripturis contineantur: se nolle tamen adhuc illud facere.

Hùc pertinet quod dicunt Vindic. lib. 1. cap. 4. pag. 29. de mysterio hoc & aliis, *nihil esse statuendum præter Sacram Scripturam.* Atqui ut modò vidimus hæc dogmata dicunt esse præter Scripturam Sacram: nam ajunt ea nec ῥητῶς in Scriptura contineri, nec per evidentem & necessariam consequentiam inde deducta esse. Ex quibus præmissis quam conclusionem in animo ferant manifestum est. Nam major ipsorum talis est: Nihil est statuendum præter Scripturam seu quod in Scriptura non continetur. At dogmata illa de Trinitate nec ῥητῶς nec per evidentem consequentiam in Scriptura continentur. Conclusionem jam vel infans fecerit hanc: Ergò dogmata illa non sunt statuenda, seu ergò non est statuendum Iesum Christum esse æternum Deum, habere naturam divinam &c.

His accedit, quod loca Scripturæ quæ pro Orthodoxa doctrina de Trinitate contra Socinianos allegantur, penè ad unum omnia luxata esse dicunt, aut infirma judicata, aut errori & sensui Socinianorum aptata atq; accommodata. Ita enim in Responsione ultima ad Excerpta D D. Prof. Leyd. pag. 41. inter alias causas seu potius prætextus propter quos anathema dicere nolunt Socinianis, etiã hunc afferunt, *quia quæ contra ipsos ex Scripturis allegata sunt, sive in conciliis sive in Scriptis Orthodoxorum, penè ad unum, omnia multis ac diversis interpretationibus eorundem Orthodoxorum, luxata sunt, pleraque etiam aut infirma judicata, aut errori eorũ & sensui aptata atq; accommodata.* Quæ quidem omnia falsissima sunt. Nam etiamsi Orthodoxi quædam loca diversimodè interpretentur, aut quædam minus pertinenter à quibusdam Doctoribus contra Hæreticos allegata dicant non tamen ideò luxata sunt infinita ut sic dicam loca quæ dogmatum istorum veritatem in se revera continent. Nec etiam illa loca quæ Sociniani eludere conantur, aptata ideò & accommodata eorũ erroribus sunt sed ad eos ab ipsis detorta in ipsorum proprium exitium. Nec denique illæ corruptelæ & detorsiones

Antitrini-

Antitrinitariorum in fraudem ac præjudicium veritatis trahendæ sunt. Iudicandum nunc unicuique relinquo etiam ex eo, an hi homines qui ita de argumentis quibus dogmata illa Orthodoxa nituntur judicant, ea dogmata pro veris in corde suo habeant?

Quemadmodum autem in genere ita sentiunt de dogmatis illis omnibus Orthodoxis quæ Sociniani oppugnant; ita in specie hoc dogma, *Spiritum S. esse adorandum* dicunt quidem se profiteri, & tamen addunt se illud non posse nec præcepto nec exemplo ullo demonstrare ex Scripturâ. Ita enim Vindic. lib. 1 cap 9. p. 50. *Spiritum S. adorandum esse apertè profitentur Remonstrantes, quia Deus est, id enim tribus argumentis probat in Confessione suâ. Sed negant argumento isto se posse uti: adorandus est, Ergò est Deus: quia antecedens argumenti istius nec præcepto nec exemplo ullo demonstrare possunt ex Scriptura Sacra.* Est ne hoc ex animo credere Deum ita colendum esse ut Spiritus S. sit adorandus, quando negant id aut præcepto aut exemplo ullo ex Scripturâ demonstrari posse? item quando dicunt in Apologiâ de *Spiritu S. adorando ne γρῦ quidem in Scriptura esse* & in Resp. ad Excerpta, de *eo adorando non solum nullum indicium manifestum in Scriptura esse, sed ne indicium quidem ullum.*

His addendum est, quod eos habent pro præcipuis defensoribus hujus mysterii, qui negant illud solidè ex Scripturis probari posse: cùm tamen deberent tales habere pro derisoribus & proditoribus mysterii illius, utpote qui id ea ratione Antitrinitariis turpiter prostituunt. Ita enim Vindic. lib. 2. ca. 10. pag. 192. *Certum est non paucos adeòque præcipuos ejus defensores ac vindices, Pontificios puta, agnoscere ac palàm profiteri, non modò necessitatem istius Mysterii sed & veritatem ejus ex Scripturis divinis solidè probari aut demonstrari non posse.* Atqui creditum hactenus fuit contra ab omnibus Orthodoxis eos esse præcipuos ac veros defensores hujus mysterii contra Antitrinitarios, qui id non solum credunt solidè ex Scripturis probari posse, sed etiam solidè illud ex iis ostendunt & exinde refutant contradicentes. Sed inde patet quantum Arminiani præcipuæ defensioni hujus mysterii tribuant, nimirum quando ad summum

ventum est id ex Scriptura solidè probari non posse; sed proficisci tantum ex traditione humana sive Ecclesiæ ut quidam ex Pontificiis sentiunt.

2. Atque hinc tandem eò delabuntur Arminiani ut mysterium Trinitatis credendum esse dicant, tantum prout extra controversiam est positum: Controversa autem dogmata vera de hoc mysterio, quæ, ut vidimus, clarè atque apertè in Scripturis definita esse negant, contendunt aut silentio prætereunda, aut tantum conjecturis & probabiliter de iis disputandum esse, aut libertatem opinandi unicuique de illis relinquendam esse. Ita enim in eâdem Resp. ad Excerp. D D. Prof. pag. 61. dicunt sed falsissimè, se sexcenta loca ex Patribus proferre posse *quæ manifestè demonstrant, Patres illos in thesi judicasse sufficere ad salutem, ut ea quæ clarè atque apertè de mysteriis divinis traduntur in Scriptura, speciatim de Trinitatis mysterio ac nominatim in Baptismi formula, humili ac devota mente credantur prout jacent. Quæ verò circa illa controversiæ moventur, de quibus in Scriptura clarè atque apertè nihil definitur, eas aut silentio prætereundas, nec profundius indagandas, aut solis conjecturis & probabilitatibus in iis inquirendis laborandum esse, & in iis dijudicandis libertatem opinandi ac mutuam tolerantiam locum habere debere, proinde qui circa eas intelligendas errores esse possunt, nec fidei nec saluti officere.*

Et ne quis putet Arminianos ibi non ex sua sed patrum illorum hypothesi loqui sciat eos ex propria sua sententia ita dicere. Nam cum multa dicta & veterum Patrum & recentiorum Orthodoxorum Theologorum allegassent, sed planè contra mentem eorum, adeoque falsissimè & pessima fide, addunt pag. 67. *Remonstrantes credunt scriptores istos non tantum in eâ parte non errasse, sed ea, quæ scripserunt verissima esse.* Sed, ut dixi, scriptoribus illis omnibus Orthodoxis veteribus & recentioribus summa ab ipsis injuria fit. Nec enim illis impietas ista, quam Arminiani auctoritate eorum palliare volunt, unquam in mentem venit. Sic igitur, ut his hominibus placeamus, & ut non amplius Belgium ab ipsis & totus orbis turbetur qua se ingerere possunt; non am-

plius dicendum est, Te Iesu Christe æterne fili Dei, esse æternum Deum, Te habere naturam divinam & quidem eandem cum Patre, Te fuisse antequam nascereris ex Maria virgine; aut saltem conjecturis & probabiliter de tua hac Deitate erit loquendum; aut Iudæis, Turcis, Socinianis liberum ac par jus esse debet, Te blasphemandi, ac nobis Te rectè colendi. Audi hæc, æterne Fili Dei, respice causam tuam; respice provincias has, respice Ecclesiam tuam. Et vos, *Illustrissimi Ordines*, qui vultis ut Deus ac Servator noster Iesus Christus vos audiat, & vobis ac teneræ posteritati vestræ benedicat, audite hæc, & justo cum zelo causam Jesu Christi Dei vestri vestram facite.

3. Denique clarissimè produnt intima animi sui sensa de his dogmatis Orthodoxis mysterij hujus adorandi, dum dicunt dogmata illa continere in se multa absurda; omne autem dogma, quod absurda in se continet seu ex quo absurda sequuntur, falsum esse. Quid hac confessione clarius esse potest? Videamus an reverà ita doceant, necne? Objeceram ipsis eos fenestram aperire Antitrinitarijs doctrinâ suâ, quâ statuunt omnia mysteria rationi convenientissima esse debere, cum tamen certum sit omnia mysteria esse supra rationem, Respondent illi Vindic. lib. 1. cap. 4. pag. 29. *Enimvero contrarium verum est. Videlicet, Remonstrantes idcirco dogma hoc tueri, ne quicquam temerè asseratur de mysteriis istis, quod ratio recta absurdum ac falsum esse deprehendit, atque ita non tantum Hæreticis ansa præripiatur calumniandi veram de mysteriis istis sententiam eamque absurditatibus gravandi; sed etiam temerariis istis assertoribus frenum injiciatur, quo retineantur, ne cum de mysteriis istis agitur, præter S. Scripturam quicquam audacter statuant aut Scripturæ Sacræ ejusmodi sensus adfingant, quos ratio humana statim deprehendit absurdos esse & ab omni verisimilitudine alienos.* Quibus verbis quid mussitent palàm faciunt lib. 2. cap. 10. pag. 92. Vbi inter alias causas, cur mysterium Trinitatis non agnoscant, pro necessario quartam hanc ponunt: *Certum est ex his ipsis libris Vedelij, mysterium hoc quatenus controversum est, sic definiri ut non pauca absurda & rationi*

recta

rectæ disconvenientia inde consequantur, quorum ratio prorsus nulla habenda sit. Videt hic unusquisque eos loqui de mysterio Trinitatis, quatenus controversum est inter Ecclesiam, quæ Deum in tribus personis adorat, & inter Antitrinitarios: ac eos dicere ex eo mysterio quatenus definitur seu deciditur contra Hæreticos multa absurda sequi. Et ut ne quis dubitet eos loqui de his dogmatis Orthodoxis nimirum; *in una essentia divina esse tres personas; Christum esse Deum ab æterno; Eum habere naturam non solum humanam, sed etiam divinam, eandem cum Patre; Eum extitisse antequam conciperetur in utero virginis; Spiritum S. esse personam Deitatis; Spiritum S. esse adorandum;* ne, inquam, de eâ re quis dubitet, observetur eos hic loqui de dogmatis illis quorum ego in parte primâ Arcanorum mentionenem feceram. Dicunt enim: *Certum est ex his ipsis libris Vedelii, mysterium hoc quatenus controversum est sic definiri &c.* Ego autem mentionem feceram nullorum aliorum dogmatum mysterii hujus quàm illorum Orthodoxorum modò à me commemoratorum, quæ Ecclesia Christiana tenet contra Socinianos. Patet igitur eos loqui de dogmatis istis. Hoc unum est. Jam autem docent Arminiani, id quod absurdum est sanæ rationi non posse esse verum sed falsum. Ita enim pag. 27. capitis quarti lib. primi Vindic, *Imo quicquid absurdum, falsum & stultum est secundum rationem, id apud Deum & ubique absurdum, falsum & stultum est.* Item pag 28. *Quicquid ratio recta apertè docet falsum esse, id non solum in terra sed etiam in cœlo falsum esse statuendum est.* Et loco paulò antè recitato ex pag. 29. pro eodem ponunt, *id quod ratio recta absurdum & id quod ratio recta falsum esse deprehendit*, item *sensus absurdos, & ab omni verisimilitudine alienos.* Et hoc quidem rectè dicunt; nam quod est falsum sanæ & rectæ rationi, id non potest esse verum in Theologiâ, de quâ re multis egi in Rationali Theologico. Sed hoc æquè falsum ac impium est quod dicunt ex iis dogmatis absurda sequi. Habemus igitur jam Syllogismum cujus Major & Minor Arminianorum est. *Major: Ex quo dogmate multa absurda sequuntur, illud falsum est.* Hanc majorem vidimus esse Arminianorum. Minor:

Atqui

Atqui ex dogmate seu mysterio Trinitatis, quatenus illud controversum est, multa absurda sequuntur. Hanc minorem etiam vidimus esse Arminianorum. Quid igitur jam existimatis, *illustrissimi & potentissimi Domini*, Arminianos istâ majore & minore velle dicere? Conclusio certè manifesta hæc est: *Ergo mysterium Trinitatis, quatenus est controversum, est falsum*; seu *Ergo dogmata illa modo recitata sunt falsa.* Nemo potest dicere me gravare Arminianos aliquâ consequentiâ extractâ ex ipsorum verbis. Nam & major & minor ipsorum est. Quid igitur de mysterio illo sentiant, jam vel infans viderit. Quid enim hac luce clarius: Arminiani dicunt; ex mysterio Trinitatis sequi multa absurda: illud autem dogma, ex quo absurda sequuntur falsum esse? Unde etiam jam patet quos loco allegato pag. 29. intelligant *per temerarios assertores mysteriorum fidei, de tribus personis, de æterna Deitate filij &c.* Nimirùm Orthodoxos, qui de dogmatis illis non nudis conjecturis & probabiliter tantùm disputant, sed asserunt, definiunt, decidunt ex verbo Dei, ea vera & credenda esse. Patet etiam quid intelligant ibi per sensus, quos ratio humana statim deprehendit absurdos esse? nimirum dogmata illa Orthodoxa; denique quid intelligant per τὸ statuere quicquam præter Scripturam sacram? nimirum statuere & profiteri dogmata illa de Trinitate, quæ Arminiani dicunt nec ῥητῶς, nec per evidentem consequentiam in Scripturâ contineri.

Nunc colligamus hæc dogmata eorum, quæ hoc capite proposui in unum. Contendunt Arminiani dogmata illa Orthodoxa, quæ Antitrinitarii oppugnant, nec ῥητῶς, nec per evidentem & necessariam consequentiam in Scripturâ exstare, loca Scripturæ quæ pro iis afferuntur, ad unum penè omnia luxata esse, aut aptata sensui Socinianorum, eos esse præcipuos defensores mysterii hujus qui negant illud solidè ex Scripturâ probari posse, ea dogmata aut silentio involvenda, aut tantùm probabiliter & conjecturis solis de iis disputandum esse, denique ex iis sequi multa absurda. Iudicate nunc, *Illustrissimi Proceres*, credant hi homines dogmata ista ex animo & ea pro veris habeant, an verò cre-

dant ea falsa esse & sint simulatores Antitrinitarii?

Ex his jam etiam manifestum est, quid sibi velint hi homines cùm dicunt *Pontificios esse præcipuos defensores & vindices, hujus mysterii.* Nam cum Arminiani animo suo istud mysterium prout oppugnatur ab Hæreticis pro falso habeant; & ex alterâ parte eos habeant pro defensoribus ac Vindicibus præcipuis hujus mysterii, qui negant id solidè ex Scripturâ probari posse; manifestissimum est eos nihil aliud sibi velle isto modo loquendi, quàm ista dogmata esse merum commentum seu traditionem humanam: adeóque eos idem sibi velle quod Sociniani aperti qui dicunt hæc dogmata quæ Euangelicis omnibus communia sunt cum Pontificiis esse reliquias Antichristi. Atq; hoc est quod mussitant in Respons. ad Excerp. p. 61. Vbi postquàm dixissent ea dogmata aut silentio prætermittenda, aut tantùm conjecturis de iis disputandum esse &c. subjiciunt statim: *Addunt quidem nonnulli Patrum Traditionem necessarium aliquando lumen esse, quo perspici debet quis dogmatis alicujus clarè quidem in Scripturis definiti, sed tamen in controversiam vocati, verus ac rectus sensus sit. Sed quia istud nobiscum Reformati omnes Doctores rejiciunt ac repudiant, nos etiam ejus nullam mentionem fecimus.* Quibus verbis unusquisque sapiens videt, eos hoc sibi velle; pro dogmatis Orthodoxis de Trinitate quæ Sociniani negant (nam de iis agunt ex professo & principaliter ibi loci totis paginis quatuordecim) tandem nihil posse afferri in speciem quàm à plurimis seculis fluentem & veterem traditionem Ecclesiæ à Concilio Nicæno profectam; sed præsidium debile esse & inane, quandoquidem traditio Ecclesiæ meritò rejiciatur non minus à Reformatis quàm ab Arminianis. Bone Deus, si hi homines liberè auderēt dicere omnia quæ mussitant, atq; Magistratus ex animi sui sententiâ haberent, præsertim autem si à vobis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, sibi non metuerent, ecquid non evomituri essent? Turgent enim blasphemis dogmatis Antitrinitariorum, & quia cor eorū illis nimis plenum est, hinc os redundat, etiam nunc cùm fatentur se inter spem & metum hærere. Quid igitur facerēt si plena liber-

tate.

tate fruerentur, Reformatos oppressissent? Vnde an cōniventia ac libertas hactenus illis concessa, remediū sit quo morbi Sectę hujus curari possint, vobis, *Illustriss. Ordines*, dijudicandū relinquo, quandoquidem ea in opprobrium ipsius I. Christi hi homines utuntur.

CAP. IV.

Posterius membrum circa simulatores hos Antitrinitarios probatur.

1. *Ostenditur Arminianos Theologos esse simulatores Antitrinitarios circa necessitatem mysterii illius prout extra controversiam est.* 2. *Ostenditur Arminianos in ea etiam re superare Arianos impietate.*

1. ATque hoc quidem prius est, quod ostendendum mihi erat circa simulatores hos Antitrinitarios, nimirùm eos simulare doctrinam Orthodoxam de veritate istorum dogmatum, quæ Sociniani oppugnant, reverâ autem & ex animo Hæresi Socinianæ addictos esse in eâ parte. Alterum jam mihi ostendendum est; videlicet eos esse simulatores Antitrinitarios etiam circa necessitatē mysterii illius, quatenus extra controversiam est.

Dixi capite primo Socinianos etiam hac hæresi execrandâ laborare, quâ mysterium Trinitatis etiam quatenus extra controversiam est, seu prout jacet, ut loquuntur, non habent pro necessario ad salutem; ut Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum S. Iesum Christum esse Filium Dei unigenitum, Spiritum Sanctum esse Deum. Illud autem quod necessarium ad salutem non est, docent Arminiani, ut parte prima Arcanorum ostendimus licere negare, in dubium vocare, ei contradicere. Hac igitur in parte quoque Arminiani sunt Antitrinitarii posterioris generis, hoc est profitentur quidem alicubi, speciatim in Epistola quadam Belgica ante hac Hagam Comitis scripta, nec non Vindiciarum libro primo, cap. 7. pag. 6. doctrinam Orthodoxam de necessitate hujus mysterii, sed simulatoriè; & animo revera isti etiam Socinianorum Hæresi addicti sunt. Conquestus eram ego, quod dog-

mata Orthodoxa de Trinitate, hoc est verum sensum mysterii illius, exponerent, prout faciunt, ludibrio Hæreticorum, & sic totam Religionem Christianam prostituerent Atheis deridendam. *Nam pereunte vero sensu mysterii hujus, qui consistit in dogmatis illis Orthodoxis, quæ Antitrinitarii negant*, dicebam, *ipsum mysterium perire necesse est; collapso autem hoc mysterio actum est de Religione Christiana.*

Hîc impii hi & vel hoc nomine execrandi homines, qui, ut ostendi in Arcanis & porrò infra libro secundo patebit, verum sensum illum hoc est vera illa dogmata de Trinitate, non habent pro necessariis ad salutem, respondere audent Vindiciarum libro 2. cap. 10. p. 192. *At quid periculi in eo, si sensus iste creditu necessarius non est?* Et jubent, ut probem verum istum sensum esse necessarium scitu ac creditu; Atque hoc est quod diu coxit apud animum suum M. Simon Episcopius, ut ex thesibus ipsius privatis patet. Ita enim disputatione quartâ quæ est de Deo thesi quartâ: *Ut natura Dei rectè cognoscatur, non necessario tenenda sunt omnia ea, quæ ad essentiam divinam aliqua saltem ratione pertinent, quæve vel juxta Scholarum placita, vel ex discursu rationis probabile attribui illi solent, sed ea tantum, quæ necessaria sunt ad hoc ut cultus ille optimus, perfectissimusque qualem exigit, præstari possit.* Et thesi quartâ: *Hujusmodi quatuor esse statuimus.* 1. *Quod Deus sit supremæ, liberæ, & irrefragabilis potestatis atque auctoritatis.* 2. *Quod sit justitiæ sive æquitatis inflexibilis.* 3. *Quod sit scientiæ infallibilis.* 4. *Quod sit potentiæ irresistibilis.* Et postquàm ista quatuor explicuisset, dicit thesi decimâ. *Quisquis hæc omnia de Natura divina certo credit & statuit;* ILLI NIHIL OMNINO EORUM, QUÆ DE DEO UT RECTE COLATUR, SCIRI NECESSARIO DEBENT, DEESSE CREDIMUS. *Alia itaque omnia quæ de divina natura fidenter affirmari, subtiliter disceptari, aut probabiliter venditari solent, absolutè necessaria scitu esse non credimus.* Ita Episcopius; & postea omittit doctrinam de Trinitate, ut dixi, atque ejus ne verbo quidem mentionem facit. Ex his patet eum dudum quoque non habuisse mysterium Trinitatis pro necessario ad salutem, etiam prout extra controversiam est.

Hinc etiam in specie non agnoscunt hoc dogma, quod prout jacet

jacet, extra controversiam est, *Jesum Christum esse Filium* Dei *unigenitum*, pro necessario ad salutem. Dixeram ego inter alia Arcanorum lib. 1. cap. 7. Hæc verba, *Christus est Filius* Dei *unigenitus*, esse partem verbi Dei quæ necessaria est ad salutem, & horum verborum sensum literalem eum esse, quem tenet Ecclesia tota, quæ Deum in tribus personis adorat: nimirum, Christum habere naturam divinam ejusdem essentiæ cum Patre à quo ab æterno genitus sit. Respondent illi Vindic. lib. 1. c. 7. p. 40. *Quisquam ne est adeo emunctæ naris & subacti ingenij, ut istorum verborum sensum literalem istum esse, non dico intelligere possit, sed vel hariolari audeat, nisi qui primum aut ex aliis Scripturis, aut ex locis communibus, aut ex Catechesi sua, istam Christi descriptionem didicit? Ergo ne, inquis, negas sensum illum verum esse? Nihil minus. Aliud est sensum istum verum esse, aliud sensum istum esse literalem istorum verborum sensum, & quidem literalem sensum partis verbi* Dei *quæ necessaria est ad salutem. Nam si hoc admittitis, judices, tum æternæ mortis sententia ferenda est de plano, non dico in eos tantum qui contra sentiunt* (qui quidē sunt Sociniani, Iudęi, Turcę &c.) *quorum ingens turba est &c.* Vbi observandum me ibi loci, non solum istius dogmatis, nimirum *Christum esse Filium* Dei *unigenitum*, meminisse ac dixisse illud esse necessarium ad salutem: sed etiam addidisse hæc, *Deum esse Patrem, Filium, Spiritum Sanctum; Christum esse Deum; Spiritum S. esse Deum*; hæc dogmata quæ prout jacent, seu in terminis illis extra controversiam sunt posita (nam controversia est de sensu vero illorum inter Ecclesiam & Antitrinitarios) esse necessaria dixeram ad salutem. Hîc homines illi cæterorum istorum non meminerunt in responsione sua, sed ut eò securiùs deridere possent necessitatem absolutam illorum, deligunt hoc Christum esse Filium Dei unigenitum, ac hujus saltem meminerunt, quia putarunt se liberius necessitatem hujus quàm cæterorum illorum deridere posse. *Exempli gratia*, inquiunt, *horum verborum, Christus est Filius* Dei *unigenitus, sensus, ait accusator Vedelius, literalis hic est, Christus qui est persona Deitatis* &c. *Quisquamne adeo emunctæ naris*, &c.

Ex his omnibus jam patet causa, cur non respodeant in Vindiciis suis ad id quod eodem capite Arcanorũ ipsis objeceram. Dixeram Arminianos in Epistolâ quadam HagamComitis scripta profiteri se habere mysteriumTrinitatis pro necessario ad salutem, prout extra controversiam est; non autẽ habere illud pro necessario in suo vero sensu, hoc est prout in controversiam vocatur & negatur ab Antitrinitariis, & addideram: *Nunc igitur quæso, estne hoc dogma aliquod revera pro necessario habere, & tamen ejus verum sensum non habere pro necessario. Quid dogma seu mysterium est, imò quid verba sunt absque suo vero sensu?* &c. Item: *Hoccine enim est, ut repetam, aliquod dogma pro necessario habere, & tamen negare illius sensum quem ipse fateris verum, necessarium esse?* Ad hoc argumentum solidissimæ veritatis quo constricti tenentur ita ut effugere non possint circa impiam doctrinam suam, quâ statuunt mysteriũ illud prout controversum est non esse necessarium ad salutem, cum tamen profiteantur ore controversum eum sensum, verum esse sensum illius; ad hoc, inquam, ut respondere non possunt, ita ne verbulo quidem respondent; sed tantùm pro incredibili petulantiâ suâ, & solenni more Antitrinitariorũ juratorum hostium filii Dei & Orthodoxorum omnium, convitiis & contumeliis in me debacchantur lib. 1. Vind. c. 7. p. 37. Causa autem cur non respondeant, in eo posita est; quia si respondissent & defendere suam sententiam voluissent, nimis manifestè detexissent simulationem & Socinianismum suum tum circa veritatem mysterii illius prout controversum est, tum circa necessitatem illius prout extra controversiam est. Nec enim duo illa consistere possunt, *mysterium illud esse necessarium ad salutem*; & tamen *non esse necessarium in suo vero sensu*. Etenim dicendũ est, aut sensum illum quem Ecclesia contra Antitrinitarios defendit non esse verum sensum; aut mysterium illud prout extra controversiam est, non esse necessarium ad salutem; aut denique utrumque ipsis dicendum fuisset. Hîc quia homines hi utrumque animo fovent; ut vidimus; hinc ne verbulo quidem ad id invictæ veritatis argumentum respondent.

2. Sic itaque patet quid hi homines animo suo sentiant, etiam de ne-

de necessitate mysterii hujus adorandi, prout extra controversiam est positum; quo tamen collapso actû est de totâ Religione Christianâ, & perinde est sive Turca sive Christianus aliquis sit. Quâ in re profectò ut Sociniani aperti, ita etiam occulti sive Arminiani rursus pejores sunt Arianis. Nam Ariani contra Photinum Socinianæ Hæreseos ducem judicabant mysterium Trinitatis prout extra controversiam est & formulâ Baptismi exprimitur, esse necessarium simpliciter ad salutem: imò esse caput & fundamentum totius fidei, ideóque semper conservandum esse. Ita enim in Synodo Syrmiensi sub Constantio: τόδε κεφάλαιον πάσης τῆς πίστεως, καὶ ἡ βεβαιότης ἐστὶν, ἵνα τριὰς ἀεὶ φυλάττηται, καθὼς ἀνέγνωμεν, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς &c. *Caput autem & firmamentum totius fidei est ut Trinitas semper conservetur ita ut in Euangelio legimus, Euntes docete omnes gentes & baptizate eas in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti.* Socr. lib. 2 c. 26. Hinc etiam Acaciani seu Aëtiani quorum Secta erat una ex Arianis inter se dissentientibus factionibus, anathema dicunt in Synodo Seleuciensi, illi qui non credit in Patrem Filium & Spiritum Sanctum, ac non agnoscit dogma illud prout extra controversiam est positum, ut apud Sozomenum videre est. Sozom. lib. IV. c. 21.

Atque hactenus quidem ostendi, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, Arminianos Orthodoxam quidem doctrinam circa mysterium Trinitatis in speciem profiteri, sed reverâ & ex animo Socinianorum blasphemiis Turcicis & Iudaicis addictos esse. Possem etiam id ostendere aliis modis quibus simulatores Hæretici deprehenduntur, prout experientia veteris Ecclesiæ docet. Sed quia brevitati coram celsitudine vestra studeo, sufficiant quæ dixi. De aliis dogmatibus Socinianis quibus hi homines etiam toti imbuti sunt, non jam agam, ne id quod ab aliis maximè à Cl. DD. Profess. Leydensibus actum est, agam. Et patet illa res quoque ex prima parte Arcanorum. Vt adeò hi homines revera Sociniani intus & in cute sint, tum circa mysterium Trinitatis tum alia dogmata gravissimi momenti ut de peccato Originis,

nis,

nis, de justificatione, de Sacramentis, de Lege Dei, de Resurrectione mortuorum &c. quæ in dubium vocare audent.

Cæterum dixi, Arminianos hoc agere, ut blasphemias illas Antitrinitarias publicè in Ecclesiam introducant per Libertinismum. Hoc manifestum est, ex omnibus dogmatibus eorum, quæ in parte prima Arcanorum proposuimus, ut de auctoritate Scripturæ, de ejus interpretatione, libertate prophetandi, mysterio Trinitatis, dogmatis necessariis & non necessariis; de Ecclesia, de Hęresi, de Tolerantia mutua, de Synodis, de ministerio Ecclesiæ, de disciplina Ecclesiastica, de Officio Magistratus &c. Speciatim ex illis quæ in commendationem Hæreticorum Antitrinitariorum proferunt, quos habent pro hominibus piis, piissimis, Sanctissimis; & cum quibus eos communionem colere ostendi; quod ipsi negare mihi non audent ob evidentissimam probationem quâ illud palam feci. Patet id etiam ex Arcanis Novis ipsorum, quæ in Vindiciis suis detegunt. Sed de hac re tota ex professo agemus infrà libro secundo. Et hoc quidem illud est, *Illustrissimi Domini*, quod hi homines circa Religionis negocium moliuntur.

CAP. V.

Corollarium quo Objectioni, duplici respondetur.

1. *Respondetur Objectioni, quæ in eo consistit; non esse verisimile Arminianos ministros omnes esse Antitrinitarios simulatores.* 2. *Prævenitur calumniosa retorsio.*

1. SEd hîc objicere aliquis possit: verum quidem esse ex Arminianis aliquos reperiri qui Sociniani sint; non tamen verisimile videri eos omnes tales esse. Respondeo, primò constat ad minimum præcipuos mystagogos & qui causam eorum scriptis defendunt tales esse: præsertim autem quendam Simonem Episcopium Philosophiæ & liberalium artium Magistrum,

qui totus innutritus totus perfusus est lacte Sociniano, idq; in medullis habet. Hic est caput Hæreticorũ Antitrinitariorũ qui in Belgio sunt. Hunc enim eum esse, qui stylum commodavit suum Arminianis cæteris in illis libris, qui pleni sunt erroribus & patrocinio Antitrinitariorum; Apologiam intelligo, Responsiones ad Excerpta D D. Prof. Leyd. Vindicias denique quas mihi opposuêre Episcopium, inquam, stylum in istis Scriptis commodâsse Sociis suis nullo negocio comperire poterunt *Celsitudines Vestræ*, ubi id opus esse judicarint. Hæc etiam causa est cur in Thesibus privatis suis omiserit mysterium Trinitatis: quod etiam signum est simulationis Antitrinitariæ; prout patet ex Veteris Ecclesiæ experiĕtiâ, quæ ostendit eos homines simulatores esse Antitrinitarios, qui transiliunt rem seu dogma controversum inter Orthodoxos & Antitrinitarios cùm tamen & officium ipsorum & res atque usus postulet, ut illud intactum non relinquant. Ita Leontius Antiochenus Episcopus, quoties δοξολογία canebatur in Ecclesia Antiochenâ quam Orthodoxi hoc modo canebant *Gloria & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in Secula Seculorum* : Ariani autem gloriæ Filii & Spiritus Sancti detrahentes sic eam concipiebant, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto in Secula Secularum*) transiliebat illa verba controversa inter Orthodoxos & Arianos, & tantum pronunciabat hæc ultima circa quæ utraque pars consentiebat, *Secula Seculorum*, Quo silentio suo manifestum fecit, ut Theodoretus loquitur, τῆς ψυχῆς αὐτοῦ πονηρίαν καὶ δηλῶν τὴν λώβην κρύπτων, hoc est *mentis suæ nequitiam & ostendisse celare animo heresin illam.* Vno verbo, certissimum est, eos qui cum Hæreticis communicant puros non esse ab erroribus eorum. Quod adeò verum est, ut ipsi Arminiani id fateantur. Ita enim Vindic. lib. 2. cap. 4. pag. 104. *Secedite ab iis qui Hæretici vobis videntur.* Secundo libenter credam initiò cùm Arminiani sectam suam formarent, non omnes qui ei nomen dedére Socinianos fuisse, sed post tot annorum consortium, familiaritatem fraternitatem, communionem cum illis qui blasphemiis Socinianis infecti sunt, illos qui nondum ab ipsis

Theod. lib. 2. c. 24.

se separârunt ac eos res suas sibi habere jusserunt intemeratos mansisse, & non infectos esse contagione illâ quis ausit confidenter affirmare? Non mentitur Spiritus Sanctus, qui dicit, *Nescitis quod paululum fermenti fermentat totam massam?* quibus verbis ignorantiæ arguit Spiritus Sanctus eos, qui contrarium sibi, aut aliis in tali negocio persuadere conantur. Hinc etiam adeò sollicitè in Scripturâ Sacrâ hortatur, ut caveamus nobis à Pseudoprophetis & Hæreticis, ac communione eorum abstineamus. Ob eandem causam Spiritus Sanctus judicium sequuta Ecclesia Christiana vetus & moderna perpetuò voluit, ut qui Orthodoxi esse, manere & haberi vellent, non communicarent cum Hæreticis, secus facientes judicavit eadem Hæresi infectos esse. Cui igitur potius credendum erit, Spirituine Sancto & toti Ecclesiæ veteri ac modernæ; an verò his paucis homuncionibus, contra expressum illius mandatum atque hujus perpetuam praxin & judicium colentibus, communionem spiritualem ac fraternitatem cum Antitrinitariis, quos quidem tales esse non potuerunt ignorare, ut ex iis constat quæ publicè acta sunt; & tamen negantibus se eorum fermento & contagio infectos esse?

Tertio, omnes Arminiani ministri approbarunt Confessionem ipsorum, nec non Apologiam quæ nihil aliud est, quàm Explicatio Confessionis. Communi etiam nomine ediderunt Responsiones ad Excerpta D. D. Prof. Leydensium. Communi nomine ediderunt Vindicias suas, in quibus libris Socinianos se esse produnt. Quomodo igitur jam dicere poterunt, se eadem labe cum cæteris infectos non esse? aut quomodo verè & exactè (prout necessarium est in re tanti momenti) sciri potest, quis ex ipsis ab ea labe immunis sit, quandoquidem omnes ejus criminis obnoxios se esse arguunt scriptis publico omnium nomine editis? Si negationi ipsorum credendum sit, omnes negabunt, & Episcopius primus ex ipsis erit qui id crimen negabit, nam fateri periculosum esse sibi sciunt. Et

ante ostendi ex Veteris Ecclesiæ experientia, hoc esse de natura & forma, ut sic dicam, simulationis & simulatorum præsertim Antitrinitariorum, negare quod in animo est, & contrarium ore profiteri. Et res clarissima est. Etenim Arminiani ministri omnes, ut ipsi fatentur, agnoscunt Confessionem pro sua; agnoscunt etiam omnes Apologiam pro sua; multi etiam ex ipsis eam propriæ manus subscriptione approbarunt ut ostendi lib. 1. Arcan. cap. 1. Apologia autem est nihil aliud quam explicatio uberior & defensio Confessionis; Responsiones ad Excerpta & Vindiciæ continent defensionem & explicationem Apologiæ. Ut adeò manifestissimum sit eos in Scriptis illis quæ Confessionem sequuta sunt, mentem suam veram exposuisse.

Quæ cum ita sint, luce clarius meridiana est, Arminianos nullam causam dedisse in hunc usque diem credendi, esse aliquos ex ipsis qui puri sint ab hæresi Socinianâ; idque vel ex ipsorum proprio testimonio, quo dicunt, ut vidimus, eum qui se vult ostendere purum esse ab hæresi debere se separare ab hæreticis; quod si verum est certè qui communionem colit cum Hæreticis, ostendit se ab Hæresi illorum purum non esse. Non igitur juvat Arminianos verbis negare se immunes à labe esse Antitrinitaria, ubi tot aperta rerum testimonia contra ipsos testantur. Qui ab hæresi immunem se ostendere vult, non inanibus verbis, sed rei veritate, sinceritate, soliditate id ostendere debet; & cavere ne verba ipsius à rebus mendacij arguantur.

2. Porrò inquiet aliquis, Arminianos hæc quæ de simulatione eorum in negocio Religionis diximus, retorsuros in nos Reformatos esse, & dicturos, nos esse simulatores in negocio Religionis. Nos enim docere quidem & verbis profiteri; *Deum non esse auctorem peccati; bona opera esse necessariò ad Salutem; Deum non esse Tyrannum, injustum, insipientem*: reverâ autem contrarium animo credere. Respondeo: me libenter crederer, si hoc tacuissem, Arminianos id objecturos fuisse. Novi enim ingenium horum hominum & modum agendi plenum

proterviæ, qui speciatim consistit inretorsiònibus sed calumniosissimis, prout in Vindiciis suis præsertim fecêre Sed bonâ conscientiâ nos simulationis accusare non possunt. Nam dicunt hinc inde in scriptis suis nos non simulare veram doctrinam, sed eam apertè negare, & impia ista dogmata veræ doctrinæ opposita, *palàm ac publicè defendere*; item nos *nescire*, *non videre* nos ita docere quemadmodum loquuntur speciatim Vindiciarum lib. 2. cap. 9. pag. 156. Itaque ut alia argumenta in re evidentissimâ omittam, simulationis nos nequaquam accusare possunt. Nam qui simulat veram doctrinam, is falsam doctrinam apertè ac publicè non defendit, scit se sentire quod sentit, & scit se docere quod docet. Quanta autem & quam Diabolica calumnia sit, quâ dicunt, nos defendere & quidem palàm ac publicè ista dogmata, quæ toto animo semper execrati sumus, & omni ita docenti semper & sine ullâ tergiversatione anathema diximus, millies à nostris contra ipsos & alios calumniatores ostensum est. Hoc monere & mihi ipsi objicere volui, quia scio hos homines quamvis rimam captare ut aliquid saltē dicant, imò dicere videantur ad colorandam deploratā causam suam. Atque hæc quidem dicta sunto de molimine Arminianorum ministrorum in negocio Religionis.

CAP. VI.

Alter finis quem Arminiani sibi propositum habent.

1. *Propositio: Arminianos ministros hoc moliri, ut omnes Reformati cujuscunque dignitatis, status ac conditionis sint, opprimantur ac exterminentur.* 2. *Argumentum primum quo ostenditur Arminianos eum finem sibi propositum habere, desumtum ex eo; quod Arminiani contendunt, omnes eos quorum Religio factiosa & seditiosa est durioribus remediis*

remediis coercendos esse; talem autem esse Religionem Reformatorum calumniantur.

1. HActenus igitur ostendi quid Arminiani circa Religionem moliantur. Nunc alterum ostendendum est, quod vestras personas, *Illustrissimi & potentissimi Domini*, vestras familias, vestros honores, vestram vitam, cæterorumque omnium Ordinum ac Magistratuum, Doctorum Ecclesiæ populorum Reformatorum qui vestræ curæ ac gubernationi commissi sunt, incolumitatem concernit. In summâ spectat hæc res salutem, pacem & conservationem Reip. vestræ, imò incolumitatem & conservationem Reformatorum omnium, quocunq; in loco terrarum sint. Moliuntur enim hoc isti homines, ut omnes his provinciis Reformatæ nostræ & Orthodoxæ Religioni vere addictos opprimant, adeoque Remp. cum Ecclesiâ evertant & in aliam formam redigant. Eandem oppressionem Reformatorum omnium (quos illi Calvinianos vocant) moliuntur in omnibus locis quibus irrepere possunt. De qua re fortassis non dubitatis, utpote præcedentibus ipsorum consiliis & actis satis edocti. Nam ut alia, speciatim parricidium attentatum anno 1622. contra nunquā satis laudandum magnum illum Heroëm Mauritium beatæ memoriæ (cujus parricidii attentati non paucos ex ministris Arminianis conscios fuisse ex propriâ confessione reorum constat) item conspirationem initam eodem anno contra Rempublicam, prout ex sententiis latis contra complices sceleris illius liquet; ut, inquam, ea non commemorem: meministis, *Illustrissimi Ordines*, conciliabuli ipsorum eodem tempore habiti: in quo decreverunt violentis moliminibus, seu vi externâ res suas collapsas restituere; expressâ hac addita clausula; *manifestum quidem esse, rem hanc non posse executioni dari absque interitu Reipublicæ, nihilominus tamen res suas restituendas esse, quamvis id fieri absque eâ viâ facti non possit.* Quæ quidem Diabolica, horrenda & inaudita malitia est, ac perfidia & ingratitudo execrabilis contra propriam patriam. Cujus rei *Illustres Ordines Trajectensis Provinciæ* testes sunt omni exceptione majores in Edicto suo ante

decennium dato, hoc eſt quarto Februarii anno 1623. teſtes ſunt etiam informationes legitimæ â Magiſtratu de eâ re habitæ. Etſi igitur de eâ re dubium apud neminem Patriæ & Religionis Reformatæ amantem eſſe queat: tamen quia fortaſſis exiſtimare aliquis poſſit mutatos cum tempore animos eorum eſſe; luce clarius meridianâ oſtendam, eos ab iſto molimine nequaquam deſtitiſſe, ſed in eo adhuc totos eſſe. Iactant illi quidem nomen pacis, honoris erga Magiſtratus, fidelitatis erga Patriam, concordiæ colendæ cum omnibus: verùm quemadmodum eos in negocio Religionis ſimulatores eſſe modò à nobis eſt oſtenſum; ita etiam iſtæ proteſtationes ſtudii pacis, & fidelitatis &c. nihil niſi meræ ſimulationes & mera verba ſunt. Qui Deo illudunt in negocio Religionis; ut hominibus illudant penſi nihil mod rati-que habent. Tales hi homines ſunt, qui machinationes ſuas ita celare non poſſunt, quin, juſto Dei judicio adhuc curam habentis Reipublicæ ſuæ, eas nonnunquam ipſi incauti prodant, prout ex Vindiciis ipſorum manifeſtum faciam.

2. Etſi autem alia argumenta adducere poſſem, quæ rem hanc manifeſtam faciunt, tamen præcipuè eluceſcit illa ex eo, quod *durioribus remediis* coërcendos eſſe docent quorum aut Religio ſeu doctrina ſeditioſa eſt, aut facta ſeditioſa ſunt. Reformatorum autem (quos illi dicunt non eſſe Reformatos vocandos, & Calvinianos appellant) Religionem talem eſſe, talia etiam facta Reformatorum tàm in his provinciis quàm ubique locorum eſſe contendunt. Declarant etiam ſecundò, quod magis eſt, ſe paratos eſſe ad exequendum iſtud conſilium ſuum, modò Magiſtratus habeant ſibi faventes adeòque rerum potiantur. Quod quia ipſis deeſt; hinc tertio loco irritant interim jam ante animos Pontificiorum & Lutheranorum adverſum Reformatos & illos incitant ad totalem oppreſſionem ipſorum. Hæc omnia ac ſingula ita clarè oſtendã, ut dubium illius rei in nullius animo eſſe poſſit.

Primum igitur docent rationes incidere poſſe quæ cogant. Principes ac Magiſtratus nonnunquã uti remediis durioribus contra quoſ-

tra quosdam Hæreticos , quorum doctrina à ciendis aut fovendis seditionibus non est aliena. Ita enim Vindiciarum lib. 2. cap. 9. pag. 171. *Remonstrantes quanquam fatentur rationes incidere posse quæ Principes ac Magistratus cogant nonnunquam durioribus remediis uti contra quosdam Hæreticos quorum vel doctrina vel indoles à ciendis aut fovendis seditionibus non est aliena; tamen nullas locum habere credunt, cur non dico capitalibus suppliciis sed ullis sive coporalibus pœnis, sive minacibus interdictis coerceant ab exercitio Religionis suæ eos qui cùm cætera vita sint incontaminatæ, Magistratum suorum reverentes, doceantque non ea tantum quæ à seditione aliena sunt, sed & quæ contra seditionem omnem faciunt in hæresi aliqua hærere iis aut antistitibus eorum videntur.* Ita igitur docent durioribus remediis coërcendos esse Hereticos eos, quorum doctrina à seditionibus ciendis aut fovendis non est aliena.

Atqui Arminiani Theologi, qua in Apologia qua in Vindiciis, Reformatos habent pro Hæreticis, Religionem eorum pro Hæretica: imò dicunt Apol. c. 3 fol. 53. a. b. doctrinam nostram de prædestinatione, quam *Calvini sententiam* vocant, adeò *Hæreticam esse ut cum ea forte nulla Hæresis comparari mereatur.* Præterea Arminiani hoc agunt ut Principibus, Magistratibus, populis persuadeant Reformatam Religionem & doctrinam à seditionibus ac rebellionibus ciendis ac fovendis non solum non alienam esse, imo non solum ansam & occasionem, sed etiam causam seditionibus, rebellionibus, parricidiis Principum præbere, non tantum profanis & perditè malis hominibus, sed iis etiã qui doctrinæ & fidei nostræ sunt retinentissimi. Dixeram ego doctrinam Arminianorum qua statuunt (ut Arcan. lib. 2. c. 2. videre est & porrò suo loco à me ostendetur) licere alicui simulare Religionem, hoc est extrinsecus profiteri Religionem aliquam, & aliam animo suo fovere, esse periculosam Reipub item vitis Principum idque probaverã experientia Illustrissimi Herois Gulielmi principis Aurasionensis p m. trucidati à parricida simulatore. Respondent illi Vindiciarũ l. 2 c. 2. p. 74. *Videamus*, inquiunt, *an non pari imo majore jure herciscere possimus ex doctrina Vedelii* (ita vocant sententiam Reformatorum omnium de prædestinatione

natione & articulis annexis) *quæ non dicimus ansam & occasionem sed causam ejusmodi sceleribus ac flagitijs præbere possunt non tantùm profanis & perditè malis hominibus, sed iis etiam qui doctrinæ & fidei istius sunt retinentissimi.* Et postquam calumniosissimè proposuissent doctrinam tanquam nostram, quæ nostra non est, ut millies ostensum, addunt: *Hoc axioma an non genio suo & vi insitâ Regnis, Principibus, Rebuspublicis periculosissimum & vitis Principum exitiale sit, cuivis pio, honesto, Ecclesiæ & salutis suæ amanti, ut verbis Vedelij utar, dijudicandum relinquo. Nam quæ machina aptior, quis stimulus acrior, quæ ratio potentior concipi aut dari potest ad efferandum subditorum animos qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent, ad acuendum odia eorum ex qualibet occasione, ut odio rerum suarum res novas moliantur, & honores quos quietâ Republicâ desperant, perturbatâ consequantur, atque ita ex motus fæcibus Reipublicæ fortunarum suarum compendia quærant, quam si credant ac firmiter sibi persuasum habeant nulla peccata ac flagitia sua efficere posse ut gratiâ ac favore divino excidant? Nulla licet pacatissima imperia tuta sunt à motibus & paroxysmis, in quibus spiritus iste subditorum animos occupavit. Nec commerciorum fides constare potest, nec juramentorum Religio, nec conjugiorum fœdera, nisi vi contineantur. Quà juvat quisque ibit, securus de futura gloria. Quis enim fidem fallere cum rerum suarum compendio dubitet, qui se id impunè coram Deo facere posse credit & salva æternæ salutis suæ spe? Potentissimum ad flagitia calcar est impunitatis divinæ fiducia & certa inter scelera de vitâ æternâ persuasio. Si publica vis & pœna metuitur, arcani licentia quæretur, & clam fiet, quod palam non licet. Hinc seditiones, proditiones, & arcana molimina, quæ fieri vix possunt, quin tandem aliquando in nervum erumpant, & Respublicas ac Regna intestinis motibus concutiant ac convellant. Et speciem statim dabunt mendacia, calumniæ, perjuria, falsa testimonia quæ eâdem impunitatis spe & sine ullo periculo aut detrimento salutis tuiò fieri posse credentur, &c.* item pag. 75. *Et vitam Principum quod attinet, Ecquis Princeps securus aut tutus esse potest inter talium subditorum conscientias, nisi aut ex præscripto aut ad libitum eorum omnia agat? Nec hoc sufficiet quibusdam, si longa Principis vita aut hæres metuitur. Insidias aut vim formidet Princeps subinde necesse est, ab iis*

qui se propitio cœlo ac Deo peccare posse credunt, qui salutem suam à sanguine & cæde Principum pollui non posse persuasissimum habent, &c. Hîc unusquisque audit Arminianos docere religionem seu doctrinam nostram (quam malè feriati homines hi calumniosissimè ex dictamine spiritus mendacij proponunt) matrem & fontem seditionum esse. Habemus igitur jam majorem propositionem Arminianorum, quæ quidem est: *Heretici quorum doctrina à ciendis aut fovendis seditionibus non est aliena sunt durioribus remediis coërcendi.* Habemus etiam minorem seu assumtionem ipsorum: *Atqui Reformati sunt Heretici quorum doctrina non solum non est aliena à ciendis aut fovendis seditionibus, sed etiam, quod magis, est causa seditionum, ita ut illæ ex vi & genio illius doctrinæ fluant, imò ut nulla machina aptior, nullus stimulus acrior, nulla ratio potentior sit ad efferandos animos subditorum, ad perturbandam Remp. ad insidias vitæ Principum struendas*, &c. Hac majore & minore positâ, quæ jam est Conclusio? an non vel infans eam fecerit? Dicunt Arminiani: Reformatorum doctrinam esse fontem seditionum: adversum eos autem qui talem doctrinam habent durioribus remedijs esse utendum. Quid igitur in mente habeant; unusquisque videt.

CAP. VII.

Secundum argumentum quo eadem molitio Arminianorum ministrorum ostenditur.

1. *Argumentum secundum quo idem ostenditur, petitum ex eo quod Arminiani contendunt Reformatos facta seditiosa commisisse, factiones formasse*, &c. *tales autem qui ejusmodi facta*, &c. *admittunt, corporalibus coërcitionibus in*

ordinem redigendos esse. 2. Arminiani ipsos Illustrissimos Ordines in suspicionem factionis vocare audent.

1. SEcundò, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, docent Arminiani corporalibus coërcitionibus in ordinem redigendos esse eos Hæreticos, qui factum aliquod admiserunt, quod vel seditionem vel rebellionem vel factionem vel schisma, vel aliud aliquod crimen sibi conjunctum habet. Ita enim Vindic. libr. 2. cap. 9. pag. 171. Cum falsi essent veteres Patres statuisse Hæreticos corporaliter coërcendos, addunt: *At si benè calculum ponatis, videbitis & manibus penè vestris palpabitis, eos quà veteres quà recentiores quando de Hæreticis loquuntur, adeò ab istis eorum corporalibus coërcitionibus abhorrere quatenus sunt Hæretici, ut eas penenunquam in istos quà tales exerceri velint, sed quatenus facto aliquo suo quod vel seditionem, vel rebellionem, vel factionem, vel schisma, vel aliud aliquod crimen sibi conjunctum habet, sese pœnæ istius reos faciunt: eo ipso testatum facientes, hæresin quà talem justam punitionis ullius corporalis causam esse non debere. Cujusmodi erant olim Donatistæ, Circumcelliones, Pryscillianistæ alijque vitæ inquinatæ homines & hoc aut illo scelere insignes atque infames, & nostro seculo Anabaptistæ Monasterienses, alijque qui Magistratibus per vim extorquere ausi sunt non modo libera Religionis suæ exercitia, sed & templa, publicaque istis exercitiis destinata Oratoria; iisque non contenti ipsos tandem Dominos veteribus suis possessionibus deturbatos exautorare, sibique solis Religionis suæ exercitium vindicare non dubitarunt.* Atqui Arminiani præterea docent Reformatos facto suo seditionem, rebellionem, schisma, factionem & alia crimina admisisse, adeoque pœnæ istius reos sese facere; imò quod magis est, adeò protervi & impudentes sunt ut Vos ipsos, *Illustrissimi Ordines*, haud obscurè in factionis suspicionem adducere audeant.

Schisma, & quidem impudentissimum unde mala maxima exorta sint, factum à Reformatis in Belgio dicunt Vindic. lib. 2. cap. 5. pag. 108. *In hoc capite se declarat Vedelius hostem mutuæ tolerantiæ,*

rantia, & imprudentissimo dicam an impudentissimo suorum Schismati, unde tot mala, proh dolor! enata vidit Belgium nostrum atque ingemuit, patrocinium suum commodat. Rebellionem quoque, seditionem, factionem & alia crimina ijs tribuunt eodem lib. cap. 9 pag. 166. ubi dicunt Reformatos Belgas *segreges cœtus contra legitimorum suorum Magistratuum edicta, contra omne jus ac fas instituisse.* Atrocius etiam & virulentius in omnes ubique locorum Reformatos pag. 169. *Viderit ergo Magistratus*, inquiunt, *qui Calvinistis non permittit conventicula quia Hæreticos eos esse credit, in quanto periculo versetur, & si dubitat, experimēta capiat ex istis locis ubi isti ob negata sibi conventicula tuibarunt & sursum deorsum omnia vertere non dubitarunt, Regnaque ac Respublicas non raro in extrema discrimina ac pericula adduxerunt.* Similiter in Responsione novissima ad Excerpta Cl. Prof. Leyd p. 136. *Non sufficiebat olim vobis vestrúque ista clementia, cum publicorum exercitiorum libertatem vobis concedi postulabatis, ne conscientijs vestris vis fieret.* &c. *Atque hæc non tantum erat vestra oratio, cum adhuc sub jugo persecutionum gemebatis, sed in hac ipsa patria ac Republica nostra paulo ante Synodum Dordracenam, cum templa ac oratoria publica vobis non minus quam Remonstrantibus patebant, & nihilominus tamen invitis Rectoribus, contra omne jus ac fas, soli vobis templa flagitabatis, quæ & strictis mucronibus Rectoribus urbium extorquebatis, & secessione facta in claustrale templum aliaque loca vacua sub ipsis supremarum potestatum oculis, involabatis, eaque faciebatis quæ non sine lachrymis spectavit Belgium atque ingemuit.* Item in eadem Responsione p. 126. 127. *Vos non contenti communi conscientiarum libertate soli ubique per fas ac nefas, rerum potiri vultis & à quibus primum blandè petitis tolerari, eos primâ quaque occasione se dante, oppressos, expulsos aut crudeliter vexatos, proscriptos, exterminatosque cupitis, non aliter quam Cananæos, Iebusæos, Therescos, aliosque populi divini hostes* Et eadem pag. 127. dicunt Pontificios & Lutheranos Magistratus sic judicare de Reformatis, & quidem meritò sic judicare: *Nec sine causa, inquiunt, hæc credunt. Experimentis crebris edocti sunt, & si alia deessent, hoc unum sufficeret, quod in Remonstrantes fidei quondam vestræ consortes, quos contra fas & jus, saltem sine causa aut necessitate à vobis expulistis, & segreges cœtus facere coëgistis, jam decen-*

decennium & ultra omni crudelitatis genere sæviistis, hodieque adhuc sævire non desinitis, &c. *Hoc unum sufficeret, nisi alia plura essent multis retrò annis à vobis vestrisque contra omne jus ac fas actitata, ut soli rerum potiremini.* Et pag. 126. loquentes de conventibus secretis nostrorum sub inquisitione Hispanicâ & sævitiâ Albanâ, virulenter exprobrant Reformatis Belgis, quod nonnunquam ad propellendam vim injustam & vitam suam defendendam armati sacra fecerint; item dicunt Reformatos invitis aut ingratis omnibus Magistratibus segreges cœtus facere solere: *Esto*, inquiunt, *si uni, si vestræ sectæ* (libertas religionis competit) *cur non omnibus? Par omnium est ratio. Nullum secta ulla privilegium habet, nedum vestra. Nec ulli seu sectæ, seu Magistratui peremtorium de controversiis judicium competit. Aut si competere vultis Magistratui judicium istud, ut de vestrâ sectâ judicaret ac pro arbitrio suo statueret, æquum fuit. Videte ergò etiam atque etiam, annon hac ratione Hispanam sive Albanam sævitiam olim contra segreges ac non rarò armatos cœtus vestros jure exercitam esse, atque etiamnum ubi ea viget, jure exerceri statuere necesse habeatis. Ne, quæsumus, palpum vobis ipsis obtrudite, quasi vos ij soli sitis, quibus privilegium segreges cœtus faciendi invitis aut ingratis omnibus terræ Rectoribus cœlum fecerit, imò quibus seculare brachium servire debeat contra omnes à vobis vestrisque cœtibus seorsim convenientes.*

Ex quibus jam patet quos intelligant Arminiani quando Vindiciarum lib. 2. cap. 9. pag. 171. dicunt, ut vidimus, esse Hæreticos *qui se pœnæ istius* (corporalis coërcitionis item *duriorum remediorum* ut ibi loquuntur) reos faciunt; & exempli loco non solum dicunt: *Cujusmodi olim erant Donatistæ circumcelliones, Priscillianistæ & nostro seculo Anabaptistæ Monasterienses*, sed etiam addunt Arminiani: ALIIQVE *qui Magistratibus per vim extorquere ausi sunt non modò libera Religionis suæ exercitia, sed & templa publicaque istis exercitiis destinata Oratoria; ijsque non contenti, ipsos tandem Dominos veteribus suis possessionibus deturbatos exautorare, sibique solis Religionis suæ exercitium vindicare non dubitarunt.* Item patet quos intelligant eodem cap. 9. pag. 159. cum conquerantur ad Reges, Principes, Magistra-

gistratus *de sævitiâ atque immanitate eorum, qui sibi libera Religionis suæ exercitia ubique aut dari orent, aut non data vi atque armis extorquere Regibus ac Magistratibus non dubitent*, &c. Quibus verbis eos denotare & virulentissimo animo petere Reformatos omnes ubicunque locorum sint, ex collatione cum locis præcedentibus Responsionis ad Excerpta, &c. luce clarius meridianâ est.

Habemus jam igitur rursus hanc Majorem Arminianorum: *Illi qui factum tale admiserunt, cui vel Schisma, vel seditio, vel rebellio, vel factio, vel aliud crimen conjunctum est, illi reos se faciunt pœnæ istius, nimirum coërcitionis corporalis*. Habemus etiam ipsorum minorem: *Atqui Reformati non unum factum sed multa facta quibus non unum ex illis criminibus sed omnia simul conjuncta sunt, in Belgio & extra Belgium, in alijs Regnis & Rebuspublicis admiserunt*. Vnde jam conclusionem facile unusquisque facere potest, ac intelligere quid sibi velint Arminiani, quando dicunt; Reformati talia facta commiserunt: qui autem talia faciunt corporaliter coërcendi sunt. Et observetur, quod dicant eos Hæreticos corporaliter coërcendos esse, qui unum aliquod factum admiserunt cui unum ex illis criminibus est conjunctum. Unde facile unusquisque intelligit, qualis futura esset & quanta coërcitio Reformatorum, qualia itidem illa duriora remedia quibus contra eos usuri forent Arminiani, siquidem rerum potirentur: quandoquidem Reformatos non unius facti aut unius criminis accusant, sed multorum talium factorum & omnium illorum gravissimorum criminum simul. Patet autem ex verbis quæ allegavimus, eos non tantum loqui de Doctoribus Ecclesiarum, sed etiam de omnibus Reformatis cujuscunque conditionis illi sint. Cæterum videre etiam ex his est, spiritum calumniæ ac mendacij quo hi homines reguntur, & qui eos planè in rabiem agit contra Reformatos. Quid enim? Dicant ac nominent illa Regna & Respublicas, in quibus Reformati ista crimina ac scelera admisêre, & probent eos illa admisisse. Quod ubi conati fuerint, spero non defore qui innocentiam suam contra hos calumniatores virulentissimos, eâ quâ par est & ratione & aucto-

auctoritate ſint defenſuri, & juſtitiam veſtram, *Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Domini*, imploraturi.

Porrò cum Arminiani cauſam ob quam durioribus remediis utendum eſſe dicunt &c. tam latè extendant, ut dicant VEL ALIUD ALIQUOD CRIMEN &c. quærere aliquis poſſit; an non inter *crimina* referant Arminiani etiam coërcitionem qua Orthodoxus Magiſtratus Hæreticis verbi gratiâ Antitrinitariis reſiſtit? Reſponſionis loco tenendum eſt: Arminianos etiam iſtud inter crimina, imò quod magis eſt inter *ſcelera* referre in Apologiâ ſuâ. Nam quemadmodum Apol. cap. 24. fol 273. a. dicunt: *Magiſtratus ſi perſequatur eum qui errore ſolo mentis laborat*, (ita vocant Hæreticum) *neque quicquam facit contra Leges civiles aut Societatis Jura, carnalis eſt, & veſtigiis Iſmaëlis inſiſtit nec ſpiritualis eſt, aut veri Chriſtiani titulo dignus eſt*: ita in præf. Apol. fol. 2. a. inquiunt: in *juſtum, pium, innocentem* (quales ipſis ſunt Hæretici ſpeciatim Antitrinitarii) *quem errare credimus, lædere, verberare, vexare* SCELUS eſt *coram Deo*. Scelus, inquiunt, & quidem tale propter quod non ſit dignus titulo veri Chriſtiani, ut modò vidimus, & ſic etiam Scelus eſt, coràm hominibus. Hûc pertinet quod prout in Arcanis par. 1. lib. 2. cap. 9. oſtendi & porrò infrà contra impudententiſſimam ipſorum negationem patebit) docent, Magiſtratum qui Hæreticos coërcet illis jus tribuere coërcendi IESUM pariter. Iudicent nunc Magiſtratus an'ne à furore & crudelitate horum hominum exemti ſint futuri?

2. Dixi autem eos ne Majeſtati quidem ſummæ harum provinciarum, hoc eſt vobis, *Illuſtriſſimi Ordines*, parcere. Nam præterquàm quod, ut mox videbimus, decreta ac facta veſtra quibus inobedientiam, rebellionem & alia ſcelera horum hominum ante hac coërcuiſtis crudelitatis ac ſævitiæ accuſant, ac vos cum omnibus Reformatis, ut paulo ante vidimus, pro Hæreticis habent; etiam haud obſcurè vos in ſuſpicionem factionis vocant. Dixerant Cl. D. D. Profeſſores Leydenſes in Excerptis ſuis, audaciam refrænandam eſſe Arminianæ ſectæ & addiderant

rant, vos eam sectam antea *factionem* in statu Reip. vestræ nuncupâsse. Respondent illi in Resp. ultimâ ad Exemp. p. 131. *Hoc Emphasim habet quâ* CRUDELITATI *color datur. At non ignorant, Doctores, primò fieri posse ut quod de crimine læsæ Majestatis aliquando dixit Tacitus, de factione etiam dicatur;* FACTIONEM SCILICET ESSE CRIMEN EORUM QUI FACTIONEM VOCANT. Ita Arminiani. Quid? an non hæc est horrenda & intoleranda contumelia adversus Majestatem supremam harum provinciarum, hoc est adversus Vos, *Ordines Illustrissimi?* Vos sectam Arminianam factionem vocastis Politicam. Illi vobis in os respondent scripto publico: *Potest fieri ut factio sit crimen eorum qui factionem vocant.* Qui vobis hoc respondere audent, quid aliis, quid mihi respondeant? Qui, cum per meram vestram conniventiam hactenus tolerati fuerunt, tam protervè & contumeliosè erga vos supremum Magistratum suum se gerunt: quid faciant ipsi & eorum complices ac fautores quos se habere gloriantur, ubi plus virium & potentiæ sibi acquisiverint? Qui denique eo tempore hoc agunt, quo ipsi in his vindiciis suis fatentur se intra spem & metum hærere; quid faciant ubi ipsos metu omni justissimæ vestræ sententiæ, quam Edictis vestris contra ipsos tulistis, liberaveritis?

CAP. VIII.

Probatio secundi membri circa finem hunc Arminianorum.

1. *Arminiani profitentur se paratos esse ad opprimendos Reformatos, modò Magistratum habeant sibi faventem.*
2. *Profitentur sibi virium satis esse ad turbandam Rempublicam.*

1. ATque hoc quidem primum eſt quod capite ſexto pollicitus fui me oſtenſurum. *Secundo* loco dixi Arminianos declarare ſe paratos eſſe ad exequendum iſtud crudele conſilium ſuum, modò Magiſtratus habeant ſibi faventes. Id nunc oſtendam & quidem ita ut pateat eos ſic paratos eſſe ad opprimendos Reformatos, ut etiam non rogati operam ſuam offerant ad tàm præclarum opus conficiendum: præterea ita paratos, ut ne quidem conventus privatos Reformatorum tolerare ſed eos diſturbare velint. Intelleximus capite ſexto, eos habere Religionem Reformatam & Orthodoxam noſtram pro ea quæ à ciendis ac fovendis ſeditionibus non ſit aliena, imo quæ fons ac mater ſit ſeditionum ac ſummè noxia Reipublicæ. Iam, quia objeceram ipſis quod ſtatuant Magiſtratum non habere jus prohibendi conventicula privata; hinc reſpondent illi Vindic. lib. 2. cap. 9. pag. 163. diſtinguendo inter conventus ſacros eos qui ſeditioni fovendæ faciunt, & inter ſacros conventus eorum qui non habeant doctrinam ſeditioſam. Illos conventus dicunt debere vocari conventiculorum odioſo nomine & non tolerandos &c. hos autem non debere vocari conventicula & omninò ferendos eſſe contendunt. Igitur inter alia ſic reſpondent ſermone ad vos ipſos, *Illuſtriſſimi Domini*, converſo: *Conventicula privata in vitio ferè poni non ignoratis, Illuſtriſſimi Proceres. Nec Remonſtrantes probant conventicula arcana Reip. veſtræ noxia, aut quæ ſeditioni fovendæ faciunt, imò ex animo ea damnant, parati ad diſturbanda ea vobis operam ſuam navare ad præſcriptum veſtrum.* Hanc ipſorum pollicitationem ex animo proficiſci, & voluntatem ſeriam eſſe, apud neminem in dubio eſſe poteſt qui meminit aut novit quam egregiè & ſtrenuè operam ſuam navârint in diſturbandis conventibus privatis Reformatorum ante paucos annos in provinciarum harum locis illis, in quibus Magiſtratum in partes ſuas traduxerant. Habemus igitur jam rurſus & majorem & minorem Arminianorum unde facilè eſt concluſionem inferre. Quid enim ſibi velint hi homines facilè videre eſt, quando dicunt: *in Conventibus ſpeciatim*

priva-

privatis Reformatorum sonat doctrina quæ Reip. noxia est & seditioni fovendæ facit : Tales conventus parati sunt Arminiani disturbare. Qui etiam conventus privatos Reformatorum disturbare parati sunt, & non rogati operam suam ad id negocium offerunt, quid in cæteris faciant ? Observetur autem quod hoc loco dicunt : *Parati ad disturbanda ea vobis operam suam navare, ad præscriptum vestrum.* Hanc operam suam Magistratibus navare non possunt ad præscriptum eorum, nisi Magistratus habeant sibi faventes & partibus suis penitus addictos. Itaque manifestum est Arminianos sentire hoc unum saltem deesse sibi ad exequendum consilium suum & opprimendos Reformatos, nimirum quod Magistratus ex partibus suis non habent ita ut desiderant : Præcipuè autem obstare sibi vident Collegium vestrum, *Ordines Illustrissimi* : Hoc enim est, quod vobis dicunt, *ad præscriptum vestrum.* Certè præscriptum hoc, Potentissimi Domini, impetrare non possunt, quamdiu vos ad clavum Reip. sedetis. Quin igitur hoc ipsum etiamnum cupiant & moliantur quod Socii ipsorum & fautores ante hac moliti fuere, dubium non est, nimirum ut facies vestri Augusti Collegii mutetur, vos proceres qui Orthodoxæ Religioni addicti estis sedibus vestris paulatim excutiamini, & in vestra loca fautores eorum (de quibus illi quidem gloriantur ; falsò an verè ipsi viderint) sufficiantur. Quo statu tunc & vos & cæteri Orthodoxi Magistratus præcipuè illi qui dudum ante hac videntes hæc molimina horum hominum ex officii ratione fortiter sese ipsis opposuerunt, cum familiis vestris futuri essetis, quo loco adeoque tota Resp. cum Ecclesiâ, Religione & Reformatis omnibus in his provinciis futura esset, vestræ summæ prudentiæ dijudicandum relinquo.

2. Dixi autem hoc unum saltem deesse illis ad consilium suum istud exsequendum. Nam alioquin profitentur in Vindiciis suis sibi vires ad turbandam Rempublicam non deesse. Ita enim vindiciarum lib. 2. cap. 11. pag. 221. eos qui suis partibus addicti sunt inter cætera sic compellant : *Ab intestinis motibus & con-*

con-

convulsionibus libera erit Respublica si VOS QUANQUAM POTESTIS TURBARE *tamen nolitis.* Et ibi, ut hoc obiter addam, in speciem exhortantur pópulos suos ad concordiam colendam cum Reformatis concivibus suis, sed tantâ cum acrimoniâ, tantâ cum virulentiâ, tantis cum calumniis contra Reformatos Belgas id agunt, ut manifestissimum sit illos revera hoc agere, ut eos qui sibi addicti sunt magis ac magis inflamment & in furorem agant contra Reformatos concives suos: prout ex parte quarta Arcan. lib. 2. cap. XI. manifestum fiet. Quod profectò patet ab ipsis fieri in eum finem, ut dum Magistratum partibus suis nondum addictum habent interim odia populorum suorum recentia semper & integra habeant contra Reformatos, quò ubi Magistratus nacti fuerint sibi adhærentes, ex acerbatorum populorum suorum animis & viribus quas hîc profitentur, contra Reformatos uti possint.

CAP. IX.

Tertii membri probatio circa hunc finem.

1. *Arminiani instigant Pontificios & Lutheranos ut extermínent Reformatos.*

1. TErtium nunc sequitur. Id in eo consistit, quòd interim dum iis deest hoc primarium medium quod obstat quò minus exequi possint horrendam istam molitionem suam: irritant animos Pontificiorum & Lutheranorum adversum Reformatos & illos incitant ad totalem oppressionem ipsorum. Vnde certè videre est extremam malitiam & virulentiam horum hominum contra Reformatos. Quid enim necesse est incitare Lutheranos & Pontificios cõtra Reformatos adversum quos multi, proh dolor, ex Lutheranis & Pontificii omnes qui Hispanicis cona-

conatibus & partibus favent nimis quàm per se sunt exacerbati? Itaque vel ex eo unusquisque videt nihil accedere posse his hominibus ad cumulum extremæ virulentiæ & insatiabilis odii quo Reformatos prosequuntur. Ita enim in allegatâ Responsione ad Excerpta ad quam sæpiùs in Vindiciis suis Lectorem remittunt. Ita, inquam pag. 126. 127. compellant sub D.D. Prof. Leydensium nomine Reformatos Ecclesiæ Doctores: *Si vos non errare creditis, si vestram sectam Orthodoxam esse vobis persuasum itis, cogitate idem alias sibi persuadere. Nec minus aliis invisam esse sectam vestram, quàm aliorum omnium vobis invisa esse potest. Nulla tam atrox Hæresis sectæ ulli impingitur, quin atrocior imo atrociores multæ vobis vestræq; sectæ impactæ olim fuerint hodieque impingantur ab omnibus tum Lutheranis tum Pontificiis Magistratibus, qui nunc fere in Christiano Orbe jura Imperii ac Majestatis habēt. Nec hoc solum: Quosvis potius quam vos tolerandos clamant, quia vos non contenti communi conscientiarum libertate, soli ubique per fas ac nefas rerum potiri vultis, & à quibus primùm blandè petitis tolerari, eos primâ quaque occasione se dante oppressos, expulsos aut crudeliter vexatos, proscriptos exterminatosque cupitis, non aliter quam Cananæos, Iebusæos, Theresæos aliosque populi divini hostes. Nempe vos soli Israel ille Dei estis cui jus ac privilegium terræ datum est. Ceteri nothi ac spurii sunt, injusti terræ possessores, prædones ac raptores, quos possessione suâ à vobis deturbari æquum est, quippe quos domus & gloriæ divinæ Zelus solos ac totos occupavit ac tantùm non devoravit. Nec sine causâ hæc credunt. Experimentis crebris edocti sunt, &, si alia deessent, hoc unum sufficeret quod in Remonstrantes fidei quondam vestræ consortes quos contra fas & jus saltem sine causâ aut necessitate à vobis expulistis, & segreges cœtus facere coëgistis jam decennium & ultra omni crudelitatis genere sæviistis, hodieque adhuc sævire non desinitis &c. Hoc unum, inquam, sufficeret, nisi alia plura essent multis retro annis à vobis vestrisque contra omne jus ac fas actitata ut soli rerum potiremini.* Sed pergunt, & quod gravius est addunt: *Non est difficile iis colligere quid se futurum sit*

oppressis Remonstrantibus. Nôrunt eandem doctrinam in cœtibus suis doceri, propter quam Remonstrantes in Synodo Dordracenâ damnastis, & jam passim Remonstrantium cœtus turbari vultis. Pergunt: *Eâdem ruinâ tandem se involutum iri nihil dubitant.* Sed quod omnium gravissimum est, hoc tandem agunt hi Arminiani ut ad desperata consilia adigant eos contra Reformatos: *Nec causam habent*, inquiunt, *ut spem ullâm collocent in clementiâ vestrâ* &c. Et tandem pag. 128. concludunt: *Quin, ubi vires vestræ vobis placuerint, in cæteras omnes sectas sævituri sitis, nemo dubitabit, nisi cui pepo pro corde est.* Quis non videt, quid hi homines his verbis virulentissimis & calumniosissimis contra Reformatos omnes sibi velint? Dicunt iis verbis Arminiani; Reformatos esse summè invisos Lutheranis & Pontificiis, & hos judicare quosvis potius tolerandos esse, quam Reformatos. Dicunt prætereà eos rectè facere & causam addunt ex spiritu calumniæ profectam, quod nimirum Reformatorum mos sit ubique velle per fas & nefas regnare, & ut eum finem assequantur petere eos primum a Magistratu submissè ut tolerentur; quod ubi impetrarint tunc Reformatos primâ occasione se dante opprimere Magistratum qui iis liberum exercitum permisit, ac reliquos qui eidem Religioni cum ipsis addicti non sunt expellere, crudeliter vexare, proscribere, exterminare. Item, Reformatos existimare sui juris esse, alios omnes qui diversæ Religionis sunt possessione sua deturbare. Et, ut ne Lutherani ac Pontificii existiment Arminianos sine causâ hæc dicere, addunt: Lutheranos & Pontificios crebris experimentis edoctos esse & quidem, multis retrò annis, imò sæpius; *multis*, inquiunt, *retrò annis à vobis* VESTRAQUE *contra omne jus ac fas actitata* &c. Ac, ut Lutheranos præsertim eò magis concitent adversum Reformatos, addunt: Lutheranis non esse difficile colligere quid se futurum sit, & eos nequâquam dubitare posse quin Reformati perdere eos & opprimere decreverint. Imò ut eos in desperationem adeoque furo-

furorem extremum agant contra nos audent addere: Lutheranos causam nullam habere ut spem ullam collocent in clementiâ nostrâ. Denique in genere stultos esse dicunt qui dubitant quin Reformati sævire decreverint in omnes à se dissentientes. Observandum autem est, quod hæc dicunt ad Pontificios & Lutheranos eos præcipuè *qui rerum potiuntur.* Adeoque rabiem suam non continent intra limites Belgii, sed virus suum effundunt in Germaniam præcipuè & alia loca in quibus sub Pontificiorum jugo & gravissimâ persecutione jam per tot annos fuêre Reformati, atque ab iis horrendas, & indicibiles calamitates perpessi sunt: nec non in quibus locis Lutherani potentiores sunt Reformatis ut in Germaniâ, in quâ à domo Austriacâ aliisque penitus oppressi hactenus fuere. Potuissetne Satanas ipse ex orco incentivum virulentius & funestius canere? Potuisset'ne atrociores calumnias adversus Reformatam Ecclesiam totam ubicunque locorum sit (nam expressè dicunt Reformatos id V B I Q U E agere) congerere, & quidem non adversus Doctores ejus solum, sed omnes cœtus eorum? An non habent igitur justam causam Reformati omnes conquerendi de hac re coram D E O & coram Vobis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*? Præcipuè autem illi Reges, Principes, Respublicæ quæ coactæ sunt armis defendere se, vitam suam, conjugum ac liberorum contra eos qui ipsorum tot myriades igni laqueo, gladio & quocunque crudelitatis genere è medio sustulerunt? Hos enim calumniâ istâ Diabolicâ peti ab Arminianis est manifestum, quam in æternum probare virulentissimi & sanguinis nostri sitientissimi homines hi non possunt. Cæterùm an non calumnia ista in vestrum quoque caput ac vestra arma quæ à Patribus in manus vobis tradita etiamnum contra hostem geritis, recidant, vobis, *Illustrissimi Domini*, dijudicandum relinquo. Nam loquuntur non solùm de aliis provinciis, Regnis, Rebuspublicis; sed etiam de his provinciis, speciatimque de armis quibus illæ libertatem veræ Religionis

gionis asseruêre, ut patet exinde quod pag. 125. ejusdem Responsionis dicunt: *Nec causam videre possunt Remonstrantes, cur hoc ægrè ferant Doctores, qui cum ὁμοψήφοις* (hoc est ipsorum Religioni addictis) *hactenus, in primis, cum sub jugo Pontificio gemerent, conscientiarum & sine quibus conscientiis suis satis fieri non posse clamabant, exercitiorum cœtuumque libertatem, sibi suæque Sectæ postulare, atque ubi opus fuit vi atque armis adserere ac vindicare non dubitarunt. Alterutrum enim ut dicant necesse est. aut non rectè se fecisse cum libertatem istam sibi suæque Sectæ à Magistratibus concedi postulârunt ne conscientiis suis vis fieret. Aut non rectè se hic facere, cùm Remonstrantes heterodoxias culpant, quod potestatem Magistratus coactivam circa sacra non extendant ulterius, quam ad personas, loca & functiones publicas.* Et paulò post pag. 126. *Videte ergò etiam atque etiam, an non hac ratione Hispanam sive Albanam sævitiam, olim contra segreges ac non rarò armatos cœtus vestros jure exercitam esse atque etiamnum ubi ea viget, jure exerceri statuere necesse habeatis. Ne quæsumus palpum vobis ipsis obtrudite, quasi vos ii soli sitis quibus privilegium segreges cœtus faciendi invitis aut ingratis omnibus terræ Rectoribus cælum fecerit. &c.*

CAP X.

Arminianorum virulentus & rabiosus animus contra Reformatos ex maledicentia incredibili quâ eos petulantissime proscindunt ostenditur.

1. *Arminianorum maledicentia & petulantia contra Ordines Illustrissimos. Arminianorum intima Sententia de statu Reip. hujus & armis quæ Illustrissimi Ordines contra Hispanum gerunt.* 2. *Eorundem maledicentia contra omnes Reges, Principes ac Magistratus Reformatos, aliosque qui verè sic dictos Hæreticos coërcent ullâ corporali*

corporali ratione. 3. Eorundem maledicentia & petulantia contra omnes promiscuè Reformatos. 4. Eorundem maledicentia & virulentia singularis contra Reformatos Belgas. 5. Contra exteros in Belgio fœderato degentes. 6. Contra omnes Orthodoxos qui Synodo Dordracenæ interfuêre nec non contra Pastores Ecclesiarum Belgicarum. 7. Corollarium de maledicentiâ eorum contra omnes cœtus qui credunt cultum unius Dei in tribus personis esse necessarium ad salutem.

1. PORRÒ, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, ut uberius cognoscatur virulentissimus, malitiosissimus & rabiosissimus animus horum hominum erga Reformatos cujuscunque dignitatis, status, conditionis sint; attendendum est ad horrendam maledicentiam, inauditam petulantiam insolentissima convitia ac nullo modo tolerandas contumelias quibus in vindiciis suis utuntur contra Reformatos Reges, principes, Magistratus, Doctores & Pastores Ecclesiarum, vivos & mortuos, contra populos omnes Reformatos, imò contra omnes Reges principes Magistratus, aliosque qui cum Arminianis non sentiunt de tolerantia omnis generis Hæreticorum, præcipuè Antitrinitariorum. Nam Maledicentiam quâ me quidem petiere in vindiciis suis facile contemno: cui triste foret & molestum à bonis viris & piis opprobriò affici. Sed ab his hominibus qui summorum, ut ostendi & porrò ostendam, scelerum rei sunt, hoc est ab Antitrinitariis & qui Reformatos omnes cujuscunque dignitatis & conditionis sunt opprimere moliuntur, ab iis, inquam, contumelia affici & indigna pati gloriosum coram DEO, & boni viri indicium est coram hominibus. Maledicentia & petulantia Antitrinitariis Hæreticis inde ab initio consueta fuit. Arius Orthodoxos Doctores & populos convitiis etiam petulantissimè proscinde-

Proſcindebat. Illi quod Alexander Alexandrinus Epiſcopus reſpondit; id ego in pari cauſâ his hominibus reſpondeo. Nequ enim ovum ovo ſimilius eſt, quam in câ re Arminiani Arianis ſunt. Ita igitur Sanctus ille vir in Epiſtolâ ad Alexandrum Alexandrinũ: *Nemini*, inquit, mirum *videri debet, fratres chariſſimi, (hoc enim quod ſum perſequi animus eſt) ſi calumnias & maledicentiã qua Ariani contra me & orthodoxũ populum utuntur expoſuero.* Οἱ γὰρ κατὰ τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ παρατεταγμένοι, οὐδὲ τὰς καθ' ἡμῶν ἀχαρίστους παροινίας παραιτοῦνται λέγειν· οἵγε οὐδὲ ποτὲ τῶν ἀρχαίων τινὰς συγκρίνειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσιν, οὐδὲ οἷς ἡμεῖς ἐκ παίδων ὡμιλήκαμεν διδασκάλοις, ἐξισοῦσθαι ἀνέχονται. ἀλλ' οὐδὲ τῶν νῦν πανταχοῦ συλλειτουργῶν τινὰ εἰς μέτρον σοφίας ἡγοῦνται, μόνοι σοφοί, &c. hoc eſt. *Qui enim contra Deitatem filii Dei aciem inſtruxerunt, non mirum ſi nos maledictis contumelioſis lacerare audent. Et qui neminem ex antiquis Patribus ſibi comparandum putant, nec illis quibus nos ab ineunte ætate uſi ſumus preceptoribus ſe pares exiſtimari ſinunt; præterea nullum ex conſervis & collegis noſtris qui nunc quocunque in loco terrarum vivunt ad mediocrem ſapientiam perveniſſe cenſent, ſed ſolos ſe ſapere putant &c.* Sic etiam Arminianos iſta agendi ratione non prodeſſe ſed obeſſe cauſæ ſuæ. Statim enim unuſquiſque, qui petulantem illum agendi modum, quo adverſum me & alios fidos ſervos Dei utuntur, videt, judicat verum eſſe: quod Arminiani ipſi dicunt in Reſp. ad Excerp. pag. 2 *Ubi ulcus tangitur, ibi dolor excitatur & clamor.* Quare illis pro iſta inſolentiâ quâ adverſum me uſi ſunt, aliud nihil repono, quàm quod ipſi de ſe dicunt in eadem Reſponſione pag. 20. *Remonſtrantes certi & perſuaſi ſunt ſe propter convitia cœlo proſcriptum iri, ex divinæ ſententiæ formula.* Et tamen audent iidem hi homines dicere: *Cavillos oderunt animitus Remonſtrantes.* Item, *Convitia tàm ſollicitè fugiunt, ut cedere malint quàm conviciari.* Pronunciarunt igitur adverſus ſe ipſos ſententiam æternæ condemnationis ob petulantiam & maledicentiam ſuam, adeoque etiam eo nomine αὐτοκατάκριτοι ſunt. Quemadmodum igitur ea convitia calumnias & contumelias quibus adverſum me uſi in pœnam veritatis a me prolatæ ſunt negli-

Theod. lib. 1. cap. 4.

negligo & contemno; ita prætereo maledicentiam & petulantiam quâ proscindunt Doctores omnes Reformatos, non vivos solum, quorum vultum intueri Antitrinitarij hi digni non sunt, sed & mortuos quorum memoria in pace, nomen in admiratione, fama in suavi odore, labor in benedictione, anima in gloria est. Saltem breve specimen exhibebo virulentiæ maledicentiæ & petulantiæ eorum, contra vos, Illustrissimi Ordines, nec non contra alios Reformatos Reges, Principes, Magistratus rursus contra omnes promiscuè Reformatos cujuscunque status aut conditionis sint, præterea contra Reformatos qui in Belgio vivunt seu indigenæ illi sint seu exteri Quibus corollarij loco addam unum atq; alterum exemplum maledicentiæ eorum contra omnes cujuscunque Religionis sint qui Libertinismum & Socinianismum detestantur. Non allegabo autem infinitam & indicibilem petulantiam ac maledicentiam quâ utuntur in alijs privato nomine editis scriptis suis, sed tantum quædam excerpam exempla ex Vindiciis ipsorum, nec non unum atq́ue alterum ex Apologiâ & Responsione ad Excerpta D. D. Prof. Leydensium, hoc est ex scriptis publico omnium nomine hoc anno & ante duos tresve proximè elapsos annos editis.

Primum igitur quod vos, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, attinet; paulò ante intellexistis impudentissimum, maledicentissimum & petulantissimum responsum, quo vobis qui eorum sectam factionem vocastis in ora dicunt: *posse fieri ut factio crimen sit eorum qui factionem vocant*: Ea autem contumelia vos affecêre ferè ante biennium. Eo non contenti jam hoc ipso anno in Vindiciis suis Vos ob Edicta & facta quibus rebellionem malitiam & inobedientiam compescuistis, sævitiæ & impietatis in faciem accusant. Ita enim lib. 2. Vindic. cap. 9 pag. 160. ubi vos ipsos compellant: *At postquam secessioni litatum est, Paroxysmi alij ex aliis nati sunt, qui subditos vestros odiis in se invicem armarunt pluquam Vatinianis, & jucundum communi hosti nostro spectaculum, fastigium auctoritatis vestræ penè fecerunt nutare*, *vosque adegerunt* ad REMEDIA ab

indole A PIETATE, A CLEMENTIA VESTRA ALIENA. Annon hoc est, Potentissimi Ordines, vos sævitiæ & impietatis in faciem accusare? Sic cap. XI pag. 216. dicunt nisi vos, cum Illustrissimo Principe Mauritio gloriosæ memoriæ, vestrâ auctoritate & potentiâ, quam vim publicam vocant, *veritatem atque innocentiam* oppressissetis, actum fuisse de nostra religione; & suam religionem triumphaturam fuisse: *Et actum ac conclamatum fuisset*, inquiunt: *Triumphasset veritas, nisi ad violentiam itum fuisset, & malæ ac jam laboranti calumniæ patrocinium ac præsidium quæsitum fuisset à vi publicâ. Ista ægide tuta calumnia grassabatur multò insolentius, quam ante. Impunitas addebat fiduciam, & veritatis atque innocentiæ per vim oppressæ speratum silentium laxabat frena calumniæ ad omnem dicendi ac scribendi licentiam.* Annon hoc est rursus Tyrannidis & injustitiæ nomine vos diffamare? Videtis enim, *Illustrissimi Ordines*, eos dicere veritatem atque innocentiam oppressam à vi publicâ, ad cujus præsidium ac patrocinium Reformati confugerint. Ubi, ut hoc obiter moneam, simul nos ipsi docent verum medium quo conatus ipsorum impediri & in nihilum redigi possint in Vobis & Illustrissimo Principe Arausionensi positum esse.

His omnibus contumeliis non contenti, cum constat vestra & Illustrissimi Principis Mauritij Herois nunquam satis laudandi diligentia consilio, auctoritate, vestrisque sumptibus congregatam Synodum Dordracenam & ad eam citatos Theologos Arminianos fuisse, dicunt illi eadem pag. 216. hoc factum esse *artibus clandestinis ac nefandis molitionibus.* Ita enim ad suæ religioni addictos ajunt: *Non ignoratis quibus tandem artibus & clandestinis ac nefandis molitionibus res eo deducta sit, ut in Synodo, id est, coram juratissimorum hostium suorum tribunali rea ageretur, (* Religio Arminiana *) & stigmate inusta publicæ infamiæ prostitueretur.* Loquuntur ibi de Religione sua quam ibi cum pulcherrima & castissima Virgine comparant, quæ quam pulchra, quam casta, quam modesta Nympha sit vel ex hoc brevi tra-

ctatu

ctatu liquere poteſt. Cæterum hoc convitio vos peti non minus quam Eccleſias Reformatas Belgij, vel infans viderit. Conſtat enim, ut dixi, veſtrâ auctoritate & prudentiâ coactam eſſe Synodum illam. Illud autem non egiſtis *Illuſtriſſimi Domini* clandeſtinis artibus aut nefariis molitionibus ſed exhortatione & ſuaſu Sereniſſimi Regis M. Britanniæ nec non crebris exhortationibus Illuſtriſſimi Principis Arauſionenſis impulſi Quibus acceſſerunt poſtea Illuſtriſſimi Ordines Geldriæ, Zelandiæ, Friſiæ, Omlandiæ, ut videre eſt ex Actis publicis. Atque hoc quidem egiſtis, poſtquam diu Arminianorum variis molitionibus & nefandis artibus Synodi Nationalis celebratio impedita fuiſſet. His omnibus accedit, quod haud obſcurè injuſtitiæ condemnant arma quæ Majores veſtri contra Hiſpanum, cujus tùm ſub imperio erant, juſtiſſimè ſumſerunt & quæ ab illis in manus vobis tradita ſunt; quæq; approbarunt atq, etiamnum approbant Reges Galliæ, Magnæ Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, alijque Principes & Reſpublicæ. Hi homines autem in genere damnant omnes Reformatos qui ſe armis defendunt aut defenderunt contra oppreſſiones Tyrannicas, nulla limitatione adhibitâ quæ tamẽ hic neceſſaria eſt, & ne vobis quidem exceptis quod tamen fideles & à factione Hiſpanicâ alienos ſubditos decet. Ita enim Vindiciarum l. 2. c. 9 p. 169. *Magiſtratui vim opponere etiamſi injuſtiſſimo* NVNQVAM *ſubdito licet: Ferenda ſunt Imperia etiam Tyrannica & patientia atq; æquanimitate ſuperanda.* Et clarius: *Quanto magis ergo ſubditos Magiſtratibus ſuis etiam iniqua & injuſta aut jubentibus aut facientibus non obluctari æquum eſt? Qui poteſtatibus reſiſtit aut ſe opponit, Dei ordinationi reſiſtit. Impatientiæ & inobedientiæ ſignum eſt non velle ferre dura Imperia, & refractarij animi non cedere poſſe iniquis juſſionibus. Subditorum non eſt Magiſtratum cogere ſi abutatur jure ſuo.* NEQVE VNQVAM LICET QVOD SIMPLICITER NON LICET. Et pag. 173. *Remonſtrantes ubique docent ac contendunt,* NULLAM VNQVAM SATIS GRAVEM AC IUSTAM CAVSAM ESSE POSSE, *quæ ſubditos armet in Rectores ſuos. Omnia*

etiam injustissima ferenda ac perferenda potius esse quam quicquam, tentandum contra auctoritatem publicam. Sacrosanctæ esse Maiestatis jura, & agnoscenda etiam cum Martyrij gloriâ & patientissimi obsequij fide simul ac laude. Ita Arminiani loquuntur locis quidem allegatis. Quâ in re vobis, *Ordines Illustrissimi*; ut de aliis nihil dicam, maximam injuriam faciunt, & ostendunt quæ sit ipsorum arcana & intima sententia de statu Reip. hujus; nimirum eadem quæ Hispani & aliorum vestrorum hostium, qui vestram Remp. non agnoscunt pro legitimâ Republicâ sed pro factione rebellium. Neque enim licuisse vestris patribus libertatem conscientiarum armis vindicare; nec etiam vobis licere ea arma continuare: quia *nunquam licet, quod simpliciter non licet*, ut loquuntur loco allegato. Per consequens pacem cum Hispano quovis precio ineundam ac redimendam esse. Cæterum quia Vos arma nihilominus contra Hispanum pro Reformatâ religione sumseritis; eo ipso vos docuisse Arminianos quid pro sua religione contra vos facere debeant. Itaque quid conaturi illi sint pace facta, unusquisque sapiens videt. Ex quo patet hos homines ex longè alio fundamento pacem cum hoste ineundam cupere quam boni & fideles cives Reipublicæ. Ut adeò mirum non sit hos homines vobis ausos fuisse respondere: *potest fieri ut factio sit crimen eorum qui factionem vocant*: & adeò contumeliosè & indignè loquantur de eo quod Reformati sub inquisitione Hispanicâ armis adserere ac vindicare libertatem conscientiarum non dubitarunt, ut vidimus cap. 9. præcedente: denique libellis Belgicis ante hac sparsisse præstare sub vero patre (Rege Hispano) quam sub vitrico esse, ut qui similes termini sunt; item, si vobis licuerit arma contra Hispanum gerere pro vestrâ religione, sibi & suis eodem jure licere arma sumere pro sua religione. Par enim omnium jus esse, &c.

Cæterum, cum dicunt nunquam subditis licere Principis Tyrannidi & injustitiæ resistere, in eo non considerant diversorum Regnorum & Provinciarum diversam rationem esse, &, quod illis subditis licet aut in illâ Provinciâ, his aut in hac Provincia seu

Regno non licere: ac plus juris habere subditos quosdam in Germania quam in Anglia, in Belgio quam in Hispania; quibus profectò religio Christiana jus suum non eripit, utpote quæ politiæ contraria non est. Diversitatis autem causa est, quod hæc aut illa provincia seu Regnum fundamentum suum habet in certis Privilegiis, Edictis, pactis reciprocis & fundamentalibus, quæ æque seu reciprocè Principem ac subditos obligant. Ut in Regnis Electitiis & imperio Germanico; nec non in Provinciis quæ salva libertate sua & præeminentia quam habet in administranda Republica secundum tenorem suarum Legum & statutorum, sine restrictione potestatis suæ in Ecclesiasticis & Politicis se Principi alicui submiserunt, prout factum olim à Provinciis Belgicis. Dixi autem Arminianos locis quidem allegatis ita loqui. Nam in aliis locis, promiscuè omnibus hæreticis subditis in quocunque loco sint jus dant in IPSUM Magistratum suum legitimum insurgendi & se contra eum armandi, prout ex c. 9 l. 2. Examinis Vindiciarum apparebit, contra impudentissimam eorum proterviam quâ adversus propriam conscientiam suam negare audent se ita in Apologiâ cap. 24. fol 259 a. docere, quemadmodum etiam infra lib 2. cap. 5. patebit. Quod ideò addo, ut ne quis ab ipsis se decipi patiatur specie illa quam præ se ferunt tuendæ auctoritatis Regum ac Principum. Nam illa mera fraus & impostura est. Etenim, prout res ipsorum postulant, mutant sententiam suam circa dogmata, speciatim circa potestatem Magistratus, prout ille ipsis aut favens aut adversus est. sicut ex Vindiciarum examine, luce clarius meridiana apparebit.

Atque hæc est, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, rabies hæc, hæc petulantia, hæc contumelia, hæc maledicentia qua Vos hi Antitrinitari; Hæretici afficiunt. Ut jam mirum non sit, quod ante triennium in Apologia sua affecerint vos ea contumelia, ut distinguant vos in eos qui paulum emunctioris naris sunt, & in eos qui tales non sunt. Ita enim cap. 24. fol. 274. a ubi pro suo Libertinismo sub prætextu Libertatis conscientiarum pugnantes

invehuntur in Orthodoxos quod contrariam ſententiam (hoc eſt oppoſitam Libertiniſmo) *ſcriptis , libellis ſupplicibus , concionibus aliisque quibus poſſunt modis , omnibus perſuaſum velint , adeoque* SUPREMIS PATRIÆ RECTORIBUS *tanquam rem certam & minimè controverſam , atque à primis Reformationis incunabulis defenſam & propugnatam repræſentent & inculcent tam pudendâ temeritate , ut qui inter eos* PAULUM EMUNCTIORIS NARIS *ſunt , non poſſint non hæſitare , ſtupori eorum an impudentiæ tribui debeat tam infamis & notoriè falſa aſſertio.* Videtis , quorſum petulantia perniciosiſſimorum horum hominum evaſerit.

2. Quod jam ſecundo loco concernit in genere omnes Reges Principes ac Magiſtratus Orthodoxos , obſervandum eſt Arminianos turpiſſimis convitiis petulantiſſimè & maledicentiſſimè proſcindere omnes eos Principes Reges & Magiſtratus qui Hæreticis non permittunt conventicula privata imò iis corporali aliquo modo reſiſtunt. Ea autem ſententia & praxis communis eſt Reformatis Principibus ac Regibus omnibus cum illis ferè omnibus Principibus qui Deum in tribus perſonis adorant. Dixeram ego Arcan. lib. 2. cap. 9. Arminianos doctrina ſua , qua ſtatuunt Magiſtratui non licere prohibere conventicula ab Hæreticis ſuæ Hæreſeos exercendæ cauſa inſtituta , condemnare *injuſtitiæ & Tyrannidis* omnem Magiſtratum qui Hæreticis non permittit conventicula ; quia ſcilicet ſecundum Arminianos id ſibi arrogat , quod ei jure non competit. Hîc vero illi Vindiciar. lib. 2. cap. 9. pag. 167. 168. fatentur illud , in eo perſiſtunt & multis contendunt ſe meritò *Tyrannidis & injuſtitiæ* accuſare omnes eos Reges , Principes , Magiſtratus ; ac me eo nomine calumniosè traducunt quod contrariam ſententiam tuear ; quemadmodum in Examine Vindiciarum patebit. Atque inter alia dicunt , ſe non poſſe lauda-

laudare Regimen vestrum, *Illustrissimi Domini*, ni Tyrannidis & injustitiæ accusent omnes alios Reges, Principes, Magistratus exteros qui Hæreticis conventicula non permittunt. Quæ profectò mira & saltem his hominibus digna laudandi ratio est. Hinc Sarcasticè & calumniosè simul dicunt ac Vos compellant: *Nempè Regimen vestrum damnandum est, ne illi* (Reges & Principes exteri) *injustitiæ & Tyrannidis damnentur!* Sed de eâ re in Examine Vindic. lib. 2. cap. 9. acturi sumus. Ad hunc locum pertinent atrocissima & horrenda convitia quæ exspuunt in Reges, Principes, Magistratus omnes Orthodoxos qui Hæreticos verè sic dictos quacunque corporali ratione coërcent. Vocant enim talem Magistratum *carnalem*, dicunt eum *Ismaëlis vestigijs insistere*; *non esse dignum titulo veri Christiani*; *esse à spiritu Christi alienum*, scelus coram Deo committere. Loca quibus illa præclara Encomia Regum ac Principum continentur, expressa & allegata sunt à me lib. 2. Arcan. cap. 9. pag 233. Hæc igitur convitia cum objecissem ipsis, fatentur ea & in iis persistunt; me autem, hoc est per meum latus omnes à se dissentientes, ob contrariam sententiam falsissimis calumniis de more suo petunt quas in Examine Vindic, confutabimus. His convitijs adde quod in Resp. ad Excerp. D. D Prof. Leyd dicunt pag. 130. QUICUNQUE *alijs armis contra Hæreses aut Hereticos qua tales, cæteroquin probos piosque* (quales ipsis sunt blasphematores Antitrinitarij) *quam spiritualibus armis pugnant aut pugnari consulunt, eos* OMNES *carnales homines & conscientiarum Tyrannos censendos esse aperte profitentur* (Remonstrantes) *nec fieri posse ut communionem habeant cum* DEO *& Filio ejus Iesu Christo.* Nec prætereundum hic est, quod cum Vindiciarum libr. 2. cap. 2. pag. 78. de Anabaptistarum quodam Regulo dixissent eum cum *regnum affectaret ad regiam simulandi artem se contulisse* addunt: *Nam pudor, pietas, fides sunt privata bona: Reges quâ juvat eunt.* Hoc an in honorem an verò infamiam Regum pertineat, unusquisque

quiſque facilè dijudicare poteſt. Me quod attinet, ego ſemper exiſtimavi pudorem, pietatem, fidem eſſe communia bona ſubditis cum Principibus ſuis; & perpetuo fore atque etiamnum eſſe Reges quoſdam pudore, pietate, fide præditos. Sed qui omnes Reges, Magiſtratus, Principes Orthodoxos, cum omnibus illis Regibus cæteris qui Deum in tribus perſonis adorantes Hæreticis, ſpeciatim Antitrinitariis, reſiſtunt, Tyrannidis & injuſtitiæ accuſant, aliter profecto ſentire non poſſunt. Tyrannus & injuſtus qui eſt, is pudori, fidei & pietati nuntium miſit. Ex quo patet Arminianos ſtante hac hypotheſi ſua de Tyrannide & injuſtitia eorum Magiſtratuum ac Principum, nullo colore aut limitatione fucum facere poſſe iis verbis quibus pudorem, pietatem ac fidem ab omnibus Regibus abeſſe dicunt. Et certè alia ipſorum axiomata quoq; quæ partim in Arcanorum prima parte protuli, partim infra indicabo oſtendunt eos nullum Magiſtratum, Regem, aut Principem pro Orthodoxo pio, bono, honeſto habere niſi qui Hæreticos ſpeciatim Antitrinitarios tolerare vult. Nunc vobis conſiderandum relinquo, Illuſtriſſimi Ordines, an non hæc etiam convitia quæ ad cæteros Principes Magiſtratuſque pertinent; etiam ad Vos pertineant, quandoquidem & ipſi Hæreticos Socinianos coërcetis & eos hactenus in provinciis fœderatis ferre noluiſtis.

3. Venio ad virulentiam, petulantiam, & maledicentiam Arminianorum adverſus omnes eos promiſcuè qui Reformatæ noſtræ religioni addicti ſunt. Hîc jam taceo, quod, ut paulò antè dixi, Reformatos ubique locorum ſeditioſiſſimos, factioſiſſimos, turbulentiſſimos homines ſeſe facto ipſo exhibere contendunt, ac ſpeciatim quod nullius Principis vitam inter conſcientias Reformatorum tutam eſſe poſſe dicunt, ut capite præcedente vidimus; quæ profectò diabolica maledicentia, rabies, furor, adverſum eos eſt. Ad alia hujus generis pergo. Dicunt igitur omnes Reformatos, quia nolunt liberum facere unicuique hæreſi & ſectæ exercitium ſuum, aut cœcos aut fatuos eſſe.

Ita enim lib. 1. Vindic. c. 3. pag. 20. Ubi omnes Reformatos consuetis suis calumniis virulentissimis petentes ajunt: *Sed ita disputas Vedelie, in hoc toto libro tuo quasi extra controversiam statui debeat te cum tuis Orthodoxum esse*, &c. *Nullius conscientiæ vim fieri, si modò conscientiam suam sibi habere permittatur. Vestra verò conscientiæ vim fieri, etiam tum cum vobis non licet quicquid pene vobis libet, imò cum conscientia vestra non nisi eadem quam aliis fertis lege adstringitur. Usque adeò aut cæci aut fatui estis, ut in legem illam impingatis quæ naturæ ipsius lex est: Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris.* Huc pertinet Sarcasmus improbissimus, quo respondent verbis meis, quibus dixeram Socinum quidem esse nomen sectæ ut ipsi Arminiani fatentur, sed falsum esse quod iidem dicunt Calvinum esse nomen sectæ. Et adduxeram ego locum Chrysostomi distinguentis inter Catholicos seu fideles & inter sectarios, &c. Ita enim Arminiani Vindic. lib. 1. cap. 5. pag. 34. *Nempe ergo vos fideles estis, & non Calviniani!* Similiter quod dicunt Vindic. lib. 2. cap. 10. pag. 202. Reformatorum doctrinam de quinque articulis esse *doctrinam Barbaris potius Tyrannis ac monstris, quam Christianis imo hominibus dignam.* Id quod profectò in omnes qui Reformatæ religioni verè & ex animo addicti sunt contumeliosissimum est; quasi illi religionem profiterentur Barbaris potius Tyrannis ac monstris quam Christianis imò hominibus dignam. Hujus loci est, quod omnes Reformatæ religioni addictos pro Hæreticis habent, tum ob doctrinam de prædestinatione, ut supra vidimus, tum ob doctrinam de coërcendis Hæreticis; & quidem habent Reformatos pro Hæreticis omnium pessimis, nimirum pro iis qui Hæresi voluntariâ laborant, quemadmodum ex parte Quartâ Arcan. libr. 2. cap. 8. patebit.

4. Quemadmodum autem omnes promiscuè Reformatos; ita speciatim Belgas Reformatos summa virulentia, maledicentia, & contumeliâ prosequuntur. Etenim in Resp. ad Excerp. p. 53. vocant Reformatos Belgas, *Ecclesiam illam quæ consilia omnia pacis ac*

mutua tolerantiæ præfractè semper sprevit, & Syncretismo facto præter ac contra omnem ordinem Remonstrantes in privatis suis conciliabulis damnaverat, schismata hic illic & secessiones per fas ac nefas fecerat, in Rectores optimos insurrexerat, & cum per tumultus ac seditiones rem eò deduxisset, ut in unum conveniretur, Synodi Dordracenæ placita, &c. Ex qua descriptione manifestum est eos non solos Doctores & Pastores Ecclesiarum Belgicarum, sed etiam omnes eos qui ab ipsorum partibus stant intelligere; & his convitiis non excerpere nisi eos quos vocant *Rectores Optimos* hoc est Magistratus Arminianis addictos, qui postea loco moti fuerunt.

5. De exteris qui in Belgio vixerunt aut vivunt, quorum infiniti religioni Reformatæ addicti sunt & fidelem operam fœderatis provinciis etiam sanguine suo effuso navarunt atque etiamnum navant; audent dicere hi homines eos non benè affectos esse erga has provincias. Nam cum in Vindic. dedicatione fol. 3. b. vehementer & vanè gloriati essent de suo præclaro affectu non solum erga religionem Reformatam, in quo affectu dicunt hi derisores & improbi homines *se nulli hominum cessisse nec etiamnum cedere*: sed etiam erga patriam, in qua ajunt se *nec indecores* (risum vix quisquam cum indignatione tenere possit) *nec degeneres esse liberos patrum suorum*, &c. addunt: *Vt affectum istum aut isti* (Arminianorum effectui erga Belgicas fœderatas provincias) *parem inesse credatis iis, qui sub alio cælo nati & alio longè aëre pasti atque educati sunt, non sinit vestra æquitas. Peregrinos ferè affectus secum adferunt in alienum solum & pro educatione atque institutione dissimilia ferè studia, quæ usque adeò perditè & impotenter amant, ut ad ea veluti ad perpendiculum ac libripendem directas ac compositas velint cæterorum omnium populorum leges ac consuetudines.* Quæ posteriora verba etiam insignem aliam contumeliam adversus infinitos quoque pios exteros Reformatos præsertim continent, qui legibus ac consuetudinibus harum provinciarum eâ quâ par est modestiâ & observantiâ sese submittunt.

6. Hic non possum prætermittere petulantiam & virulentiam ipsorum

rum tum erga omnes qui Synodo Vestræ Dordracenæ interfuerunt, inter quos etiam ex vestro ordine, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, erant Deputati, qui eam auctoritate sua piè & prudenter direxerunt; tum erga Pastores Ecclesiarum Belgii. De Synodo Dordracenâ ita loquuntur Vindic. lib. 2. cap. 11. pag. 219. *Quem colorem dabit Vedelius Synodo Dordracenæ quæ tanto molimine, cum tanta Reipublicæ simul atque Ecclesiæ perturbatione, cum tot multorum bonorum gemitibus atque lachrymis adeò rigidè prædestinationis articulum decidit?* Quid contumeliosius, quid calumniosius dici possit, quam eos qui Synodo Dordracenæ interfuêre Remp. & Ecclesiam tanto cum molimine perturbasse, & tot multorum bonorum animis atque oculis gemitus & lachrymas expressisse? De Pastoribus Ecclesiarum Belgicarum dicunt lib. 2. Vindic cap. 9. pag. 160. posteaquam exposuissent calamitates Belgii, & turbas, quas, cum ipsi excitarint innovationibus suis, audent tamen, Antitrinitariorum fratrum suorum consueto more (ut experientia Veteris Ecclesiæ docet) culpam earum transscribere in Doctores Ecclesiarum Reformatarum, addunt: *Inter ista funera & lachrymas hilaria celebrabant tam immanium tempestatum authores, dumque vos lachrymis passim Remp. vestram inundare cum gemitu cernebatis, illi gaudebant in sinu suo, & in vacuâ aula dominabantur aucti ac cumulati honoribus ac stipendijs proscriptorum fratrum suorum, veluti manubijs ac spolijs ab hoste reportatis. Neque hoc tantum, sed, ut qui tuta omnia timent, fluctus ubique in simpulo movebant, & turbari tranquilla omnia curabant, nec ubi vel minimum tranquillitatis aut conniventiæ exemplum contagionem daret ad plures.*

7. Corollarij loco afferam unum atque alterum exemplum, maledicentiæ qua proscindunt omnes cœtus qui Deum in tribus personis adorant & Antitrinitarios condemnant. Hos enim omnes vocant ob eam causam inclementissimos homines, & eos cum laniis comparant, qui malleum suum paratum habent ad innocens pecus mactandum Dixeram dogmata Orthodoxa de Trinitate quæ Antitrinitarij oppugnant continere verum sensum literalem partis verbi Dei quæ necessaria est ad salutem: quæ qui-

dem ſententia mihi & omnibus Reformatis Eccleſijs communis eſt cum omnibus cœtibus qui Deum in tribus Perſonis adorant. Reſpondent illi Vind l. 1. c. 7. p. 40. *Hoc ſi vobis placet, judices, quæ ergò & quot mortium genera ſufficient excarnificandis innumeris innoxijs animabus in gratiam inclementiſſimorum iſtorum hominum, qui tam leviter in comitia eunt de capitibus hominum & non minus promptam ac paratam habent ſententiam æternæ maledictionis, quam lanij malleum ſuum quo boves mactant animal ſine fraude doloque.* Objeceram ipſis Arcan lib. 2. c. 5. quod Eccleſiam Dei ne quidem verâ & Orthodoxâ Eccleſia exceptâ cum *ſentinâ* comparent *in quam confluant omnis generis ſceleratiſſimi nebulones*; cum tamen Scriptura Sacra cum fonte ſignato comparet qui certè ſentina eſſe non poteſt. Hoc illi convitium in omnes cœtus Chriſtianos inter quos certè aliqua fuit & eſt & erit Eccleſia vera non negant in Vindicijs ſuis, nec ullo verbo corrigunt. Objeceram etiam ipſis ibidem quod Tyrannidis intolerabilis arguant omnes eos qui dicunt Pædobaptiſmum eſſe neceſſarium ſeu neceſſitate præcepti ſeu medij: hoc etiam convitium non negant in Vindicijs ſuis nec ullo verbo corrigunt. Quam porrò horrendis convitijs petant omnes Synodos veteres & recentes cujuſcunque illæ religionis & Eccleſiæ ſint, quæ contra quàm ipſi volunt inſtituuntur, alio loco monebimus Nam ego ad finem propero: quare etiam alia exempla non apponam. Nunc judicate, *Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Domini,* primum annon virulentia, petulantia, maledicentia & convitia quibus hi Antitrinitarij Hæretici proſcindunt omnes Reformatos, ſpeciatim autem Belgas reformatos etiam ad vos pertineant, qui reformatam religionem non ſolum profitemini, ſed etiam auctoritate & potentiâ veſtrâ tuemini? Deinde judicate ex hac ipſorum maledicentiâ & virulentiâ erga reformatos omnes cujuſcunque dignitatis & conditionis ſint, de animo iſtorum hominũ erga omnes Reformatos; & annõ facilè ſit videre; verba animos, facta, conſilia, molimina per omnia in hac parte conſpirare & pulchra ſc. harmoniâ convenire? Non autem eſt tacendum, cum hominẽ per cujus os Arminiani

iſta

ista convitia & istud virus exspuunt in vos, Potentissimi Domini, in omnes Reges, Principes, Magistratus, Reformatos præsertim, in omnes alios Reformatos cujuscunque conditionis & status sint, in omnes deniq; qui Antitrinitariorum blasphemias tolerare nolunt, esse eundem Magistrum Simonem Episcopium; cujus stylo Arminianos, ut etiā supra indicavi, usos esse in Vindiciciis & in Responsione novissima ad Excerpta D. D. Prof. Leyd. Celsitudo vestra nullo negocio comperire potest: præterquam quod stylus eum satis prodit. Is homo Antitrinitariis blasphemiis totus perfusus ob summam petulantiam, animi virulentiam & maledicentiam quâ, ut ostendi, nemini parcit, execrandum & infamem se apud omnes reddit, & ea ratione turbulentissimum factiosissimum & seditiosissimū ingenium suum manifestum facit. Nec tamen excusandi sunt cæteri ipsius socij, qui ipsius opera in eo negocio utuntur, & per ipsum virulentiam, impietatem, consilia ac molimina sua justo Dei judicio produnt. Palliet ille cum suis maledicentiam suam quocunq; nomine velint, vocent (ut solent) sales innoxios, vocent reprehensiones, dicant se scapham scapham nominasse, nunquam sese à labe inauditæ petulantiæ, virulentiæ, & maledicentiæ purgabunt. Sunt enim meræ falsitates, mendacia, scommata histrionica & petulantissima, quæ honestos viros nequaquam decent, ac calumniæ quas in æternum nec de Regibus, Principibus, Magistratibus Reformatis, speciatim de Illustrissimis Ordinibus, nec de populis Reformatis Ecclesiarumq; Doctoribus, nec de me nominatim probare possunt. Atque hæc petulantia eorum eò minus in ipsis toleranda est, quod dicunt in liberi arbitrij sui viribus esse positum abstinere à malo & facere bonum. Cum itaq; secundum doctrinam suam abstinere à maledicentiâ, petulantiâ nec non à consiliis sanguinariis quæ capiunt contra Reformatos possint, nec tamen velint; certè eò magis execrandos & abominandos se eo nomine omnibus hominibus reddunt. Ex quo manifestum jam est, eam maledicentiam quâ se dicunt posse abstinere modo ipsi velint, & quâ utuntur etiamsi norint credant ac dicant, ut initio hujus

capitis vidimus, *se propter eam æternum damnatum iri*: esse exuberantiam virulentissimi animi & moliminum quæ contra reformatos concepêre. Atque hæc etiam dicta sufficiant de posteriore fine quem Arminiani sibi propositum habent, qui in totali ruina & oppressione Reformatorum omnium, quos illi Calvinianos vocant, cujuscunque dignitatis & conditionis sint, consistit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De mediis Arminianismi in genere.

1. *Medium generale quo Arminiani ad utrumque finem sibi propositum pervenire volunt, esse Libertinismum.* 2. *anne id medium idoneum sit, ad eum finem consequendum.* 3. *arminianorum arcana duplicia in quibus specialia media consistunt.*

1. EGi hactenus, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, de fine duplici quem Arminiani tam in negocio religionis, quam in Reip. statui adeòque Ecclesia Reformata, quæ nec sine religione nec sine republica esse potest, sibi propositum habent. Sequitur nunc ut ostendam quibus mediis ad scopum utrumque pervenire conentur. Medium generale est Libertinismus in doctrina fidei Christianæ seu in religione, quem in Ecclesiam introducere conantur:

2. Hoc enim medium Sathanæ aptissimum visum fuit, tam ad

ad Socinianismum introducendum, quam ad stabiliendam factionem Arminianam & opprimendos reformatos. Nam ex una parte, quantum attinet ad priorem finem, quem sibi Arminiani propositum habent, hoc est Socinianismum introducendum, Satanas quia novit quam invisum sit nomen Socinianorum, non adeò ineptus & stupidus fuit ut recta & aperta fronte ac vultu Socinianismum monstrandum populis & introducendum in Ecclesiæ conspectum putaret, sed, quæ est indicibilis ipsius versutia, cogitavit de pulchrâ & speciosâ larvâ quâ eum indutum ac personatum exhiberet. Itaque judicavit sibi deligendum esse medium, quod accommodatum & plausibile sit ingenio ac indoli ut omnium hominum ita speciatim naturæ Belgicorum populorum. Illud medium est prætextus, libertatis conscientiarum, quam omnes homines impensè amant, ac præ omnibus summopere eam amplectuntur populi Belgici. Quod quia novit adversarius generis humani, qui, quando hominem perdere vult, utitur affectibus illis qui maximè in eo dominantur, & objectis ad quæ maxime inclinat; nullum magis idoneum medium ad introducendas blasphemias hostium filij Dei se adhibere posse in Belgio vidit, quam prætextum libertatis conscientiarum, quam incolæ Belgij tantopere amant. Non enim dubitat ubi dogmata talia, qualia mox videbimus, Arminiani proposuerint, & ea non vero nomine *Libertinismi* sed falsa prætextu *libertatis conscientiarum* incrustarint; Belgas cupidè ea arrepturos, à Belgis ad populos vicinos & inde per reliquum orbem ea pervasura esse. Ex quo unusquisque videt Satanam nunquam astutius Filium Dei oppugnasse, & à cultu, & cognitione veri Dei homines abducere conatum esse quam hoc novo stratagemate, ad quod exequendum sibi Belgicas provincias delegit. Sed hîc caveant sibi diligenter omnes, ne fucum sibi fieri patiantur specioso nomine. Neque enim Arminiani veram libertatem conscientiarum urgent, sed falsam, hoc est Libertinismum sive subtilem Atheismum. In qua re verum me dicere;

atque

atque eos non veram sed falsam impiam & noxiam saluti animarum ac pietati Libertatem seu potius licentiam & Libertinismum venditare, ex eo manifestissimè liquet, quod si quidem locum habeant & inveniant ista Arminianorum dogmata, necessariò locus dandus sit Turcicis blasphemijs Antitrinitariorum, & nullo jure possit negari Socinianis aperta earum professio: quæ res quam horrenda sit, patet ex iis quæ libro primo capite primò dissseruimus. Vt ne quis putet me temerè hoc dicere, quæso legat dogmata eorum quæ subjiciemus, & ipse judicet annon illis stantibus, hæresibus & blasphemiis illis execrandis introitus ubivis locorum plenis velis necessariò dandus sit. Nec hoc Arminiani negant sed contra apertè in Apologiâ, Respons. ad Excerp & vindiciis contendunt Socinianis liberum exercitium religionis hoc est blasphemiarum suarum esse permittendum, & eos habendos esse pro veris membris Ecclesiæ Iesu Christi, ut ex sequentibus patebit Hoc Satanas vidit; & probè intellexit, ubi dogmata ista fidem invenerint in cordibus Magistratuum & populorum, se finem istum suum non posse non consequi Quare sibi unusquisque ab illis dogmatis caveat, & ea execretur tanquam certissima & perniciosissima vehicula Socinianismi. Hoc unum est.

Ex altera parte, quantum attinet ad posteriorem finem qui est oppressio Reformatorum; quis non videt Arminianos ad eum finem consequendum opus habere potentiâ validiore? Ad quam conciliandam, hoc est validissimam factionem formandam, idem Libertinismus via est improbis atque impiis hominibus accommodatissima. Hac enim ratione Arminiani vexillum speciosum & plausibile impietati humanæ erigunt, ad quod concurrant ex omnibus sectis & cœtibus Christiani nominis quicunque velint; nec non ij qui ex animo nulli sectæ aut cœtui sunt addicti etiamsi ore aut communione externâ religionem illius profiteantur, quorum hypocritarum simulatorum, & atheorum infinitus numerus in cœtibus & sectis Christianis latet. Dubium

igitur

igitur non est quin hac ratione Arminiani validissimam factionem & potentissimam sint formaturi, nisi maturè præveniantur. Quæ factio si Ducem audacem, improbum & versutum inveniat, h. e. talem qui ejusdem indolis & ingenij sit cum istis Theologis, certissimum est, eam omnia sursum deorsum vertere posse

3. Cæterum Arminianos isto medio quod Libertinismus est uti; id mihi jam breviter est ostendendum. Quē in finem recitabo dogmata quibus Libertinismum invehunt, ex quibus res facilimè dijudicari potest. Exposui autem anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo in tractatu de Arcanis ipsorum, ea dogmata hujus generis, quæ in Confessione & Apologia sua protulerunt. Illi meo tractatui mēse Martio hujus anni trigesimi tertij, ita responderūt, ut non solum fateantur ea omnia & non negent, paucis exceptis quæ contra propriam suā conscientiam negant: sed etiā in singulis capitibus Vindiciarum suarum Nova nobis Arcana proferunt & dogmata, quibus uberius Libertinismum suum manifestū faciunt. Ita autē ea dogmata proponam, ut prius indicem quid Ecclesia, quæ Deum in tribus personis adorandū esse necessarium ad salutem profitetur ex verbo Dei credat. Deinde quid Arminiani (qui profitentur se non posse videre quod ad salutem necessarium sit Deum in tribus personis colere & adorare è contrario credant seu doceāt) exponā. Necessum enim est nosse quæ utriusq; partis sententia sit: quamvis Arminiani utrumq; ægerrimè ferant. Nam quemadmodum in Vindiciis suis ostendunt se rabiosos esse adversum me, quod indicarim Arcana quæ ipsi prodiderunt: ita etiam non possunt ferre quando indico quæ Ecclesiæ totius sententia sit, sed statim, quando saltem Ecclesiam nomino, clamant me Pontificium esse. Qua profectò agendi ratione nihil iniquius esse potest. Nam quemadmodum mihi licet dicere quid Arminiani credant; ita etiam licet mihi dicere quid credat Ecclesia tota quæ Deum in tribus personis adorat. Et quemadmodum quando expono quid credant Arminiani, non eorum auctoritate pugno; sic nec Ecclesiæ auctoritate pugno, quando expono quid illa doceat.

ceat. Nec illud me Arminianum, nec hoc Pontificium facit. Nihil enim aliud mihi propositum est, quam utriusque partis sententiam proponere, qui etiam unicus scopus meus in parte primâ Arcanorum fuit. Exhibebo autem prius quæ ante hac prolata fuerunt ab ipsis, & à me in tractatu illo ipsis objecta; atque uno verbo indicabo quid ad ea respondeant, hoc est, fateanturne illa aut negent. Quod ubi à me factum fuerit; exponam Arcana ipsorum Nova, quæ in Vindicijs suis excluserunt, quemadmodum ipsis prædixeram eos facturos. Nam quo plus scribunt, eo magis sibi nocent.

CAP. II.

Dogmata Arminianorum; ipsis objecta in primâ parte Arcanorum.

1. *De auctoritate verbi divini.* 2. *de libertate prophetandi.* 3. *de usu rationis in Interpretatione Scripturæ.* 4. *de dogmatis quæ Hæresiarcham aliquem seu damnati nominis auctorem habent.*

1. HActenus credidit Ecclesia Christiana perpetuò ex Verbo Dei, tantam esse auctoritatem verbi divini, ut illius verum sensum, qui nihil aliud est quam veritas divina, omnes homines teneantur mente amplecti, corde credere, ore profiteri: quod ubi non fiat illud gravè peccatum esse, nec excusari hominem prætextu eo, quod in conscientiâ suâ aliter deprehendat. Credidit etiam hactenus Ecclesia hominem non debere intelligere verbum Dei, prout credit esse intelligendum, sed secundum solam mentem & intentionem Dei in Scripturâ loquentis.

At

At Arminiani docent: Neminem obligari ad verum ſenſum verbi divini ſequendum contra conſcientiam ſuam licet erroneam. *Ita ſe docere fatentur: de qua re agetur parte Quarta Arcan. lib.* 1. *cap.* 2. *Item*, Verbum Dei neminem obligare niſi intellectum, & quidem ſic, prout quis omni adhibita poſſibili diligentiâ & prudentiâ credit eſſe intelligendum; *Fatentur, ut ibid. videre licebit.*

2. Quid porrò crediderit hactenus Eccleſia de Libertate prophetandi hoc eſt interpretandi publicè Scripturam Sacram, ex modò dictis apparet; nimirum eam interpretandam eſſe interpretatione tali, quæ revera quadrat menti Spiritus S. non autem quam quis, verbi gratiâ Hæreticus Socinianus, putat ei quadrare etiamſi revera non quadret.

At Arminiani docent:

Liberum eſſe debere unicuique Scripturam interpretari interpretatione tali, quam quis ſenſui & menti Dei optimè quadrare credit. *Fatentur ſe ita docere. Vid. Arcan. par.* IV. libr. 1. cap. 3.

Liberum eſſe debere unicuique Deum colere eo cultus modo, quem credit ſibi à Deo præſcriptum eſſe. *Fatentur. ibid.*

Hanc libertatem concedendam eſſe in omnibus quæ non ſolum controverſa ſunt inter Chriſtianos, ſed etiam controverti poſſunt in futurum. *Fatentur. ibid.*

Eam permittendam eſſe omnibus Chriſtianis; & quidem quo uſque eam quiſque ſibi concediamat. Et ſic in omnibus quæ vera eſſe ſibi aliquis perſuadet. *Fatentur. ibid.*

Adeòque eam libertatem prophetandi Hæreticis concedendam eſſe. *Fatentur. ibid.*

Concedendam etiam eſſe ijs qui revelationes peculiares Spiritus S. in rebus fidei ſe habere credunt, ſive Enthuſiaſtis. *Fatentur. ibid.*

Tales omnes interpretationes non eſſe peccatum, ſed cum ſummâ reverentiâ Scripturæ conjunctas. *Fatentur. ibid.*

Ab ejusmodi libertate Prophetandi nihil periculi imminere. *Fatentur. ibid.*

3. Hactenus etiam Ecclesia Christiana ex verbo Dei docuit: Eum esse verum sensum Scripturæ, qui intentioni & menti auctoris hoc est Spiritus Sancti conformis est, etsi rationi humanæ non sit convenientissimus seu secundum eam, sed illam superet; prout certè omnia mysteria religionis Christianæ non sunt secundum rationem, sed supra eam.

At Arminiani docent inter alia hujus generis:

Eum esse verum sensum literalem Scripturæ, qui non solum menti auctoris sed etiam rectæ rationi convenientissimus sit. *Item*: Omnia ad Scripturæ & rectæ rationis normam examinanda esse, &c. Fatentur. vid. part. 4. Arc. lib. 1. cap. 4.

Ideò in S. Cœna mysterium nullum omninò esse, & realem communionem corporis & sanguinis Iesu Christi (quam omnes Euangelici profitentur) dicunt esse merum figmentum, & idololatriæ horrendæ fontem: quia sc. Scripturæ & rationi non sit conforme istud mysterium. *Hoc Arminiani se ita docere, directè non negant, nec planè directè fatentur, sed tantum contra conscientiam suam aliquantulum tergiversantur & lectorem decipere volunt: prout ibidem patebit.*

Docent etiam, *ideò Peritos & accuratos rerum æstimatores, sacram cœnam vanitatis suspectam habere.* Fatentur, & contra propriam suam conscientiam tam verba quam sensum eorum corrumpunt: ut ibidem ostendam.

4. Hactenus tota Ecclesia Christiana, ut fidei puritas intemerata conservaretur contra Hæreticos, perpetuo sensit cavendum esse à dogmatis seu interpretationibus illis quæ Hæresiarcham & damnati nominis auctorem habent.

At Arminiani conceptis verbis protestantur profitentur, & docent:

Se non curare, si maximè Socinus, Servetus, Pelagius, &c. sit primus author alicujus dogmatis. Fatentur. Vid. part. IV. Arcan. cap. 5.

Profi-

Profitentur; se pensi non habere accusationem Socinianismi. Item: se susque deque habere, quodcunqne tandem invisum nomen sententiæ ipsorum præscribatur. *Fatentur. ibid.*

Hinc quando ipsis objicitur; eorum sententiam Pelagianam aut Socinianam esse; respondent: Quantum crimen, medius fidius, si omnino hoc verum foret! *Item:* sed esto, *inquiunt*, ex Socino hæc desumta sint; quid tum? Cum Socino itaque sentiunt hac in parte Remonstrantes. Benè habet. Socinus ergo in hac re benè sensit scripsitque. *Item; cum speciatim objecissent ipsis Cl. Theol. Prof. Leydenses, eos sententiâ suâ de lege Mosis, &c. in Socini castra transire; respondent illi:* Papæ! quantum crimen! *Hæc omnia à me sibi objecta fatentur. ibid.*

Atque hæc eorum doctrina est de verbo Dei, illius auctoritate & interpretatione. Nunc judicate, *Illustrissimi & Potentissimi Domini,* annon, si nihil aliud quam ea solum dogmata profiterentur, Libertinismum & per Libertinismum introducere conentur hæresium Antitrinitariarum seu Socinianismi apertam professionem. Si enim ea ita se habent, speciatim quæ de auctoritate verbi Dei & libertate Prophetandi tradunt, certè non debet nec potest Antitrinitariis negari aperta professio blasphemiarum quas contra Filium Dei evomunt. Nunc ad alia pergo.

CAP. III.

Alia dogmata Arminianorum, hujus generis.

1. *De articulis fidei, qui simpliciter ad salutem necessarij sint.* 2. *Speciatim de mysterio Trinitatis Sacrosanctæ.* 3. *De non Necessariis.* 4. *Exempla plurimorum dogmatum quæ orthodoxa Ecclesia contra Hæreticos Socinianos tenet, & ab*

Arminianis in dubium vocantur. 5. *Dogmata* Ar- *minianorum de verâ cognitione Dei.*

1. HActenus, *Potentissimi Domini*, Ecclesia Christiana tota sensit Necessaria ad salutem esse, non solum ea dogmata quæ apud omnes cœtus Christianos in Confesso sunt, & extra Controversiam posita; sed etiam quædam quæ ab Hæreticis in controversiam vocantur & negantur, & sic non omnibus Christianis clara & manifesta sunt.

At Arminiani docent:

Ea tantum esse Necessaria creditu ad salutem, quæ extra controversiam sunt, inter Christianos, sive apud omnes in confesso sunt. *Hoc ipsis à me objectum lib.* 1. *Arcan. cap. 6. non negant Arminiani in responsione suâ ad id caput sextum; sed tacito pede prætereunt.* Vide Part. IV. Arcan. lib. 1. cap. 6.

Item Necessaria esse ea tantum quæ clara & manifesta sunt omnibus Christianis seu ab omnibus agnoscuntur qui tantùm mentis suæ compotes sunt. *Fatentur. ibid.*

Ea quæ non ab omnibus Christianis videntur seu agnoscuntur non esse manifesta sive evidentia. Imò quædam dogmata quæ ab Hæreticis & sic ab omnibus non agnoscuntur, etsi à Pontificiis, Lutheranis, Reformatis pro veris, quædam etiam pro Necessariis habeantur, non exstare in Scripturâ. *Non negant & nihil respondent, sed sicco pede transiliunt. ibid.*

In specie, de adorando Spiritu S. ne indicium quidem manifestum in Scripturâ exstare, imò ne hilum quidem. *Non negant & nihil respondent. ibid.*

De simplicitate Dei ne jota quidem in Scripturâ esse. *Non negant, & nihil respondent. ibid.*

Nullum locum esse in tota Scriptura, unde appareat patres Veteris Testamenti in Iesum Christum credidisse. *Non negant, & nihil respondent. ibid.*

Necess-

Necessaria dogmata tribus comprehendi, quæ sola firmiter & constanter credenda sint. *Non negant, & nihil respondent. ibid.*

2. Hactenus Ecclesia tota Christiana, quæ Deum in tribus personis adorat, credidit cum Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 4. *nec periculosius alicubi errari, nec fructuosius aliquid quæri* quam in doctrina de mysterio Trinitatis. Clarius ut dicam, semper Ecclesia Christiana mysterium Trinitatis habuit pro utilissimo in se & pro Necessario simpliciter ad salutem, etiam quatenus controversum est cum Antitrinitariis, atque ob eam causam semper detestata & execrata est Hæreticos Antitrinitarios h. e. eos qui mysterium illud oppugnant.

At Arminiani docent:

Mysterium Trinitatis nullum usum per se habere. *Item,* Mysterio Trinitatis peculiares usus tribuere, esse figmentum & væcordiam. *Hic tergiversantur initio contra propriam conscientiam suam; & tandem res eò redit, ut colorem velint dare dogmati isti impiissimo suo; sed frustrà. Vt ostendetur part.* IV. *Arcan. lib.* I. *cap.* 7.

Profitentur etiam se dogmata Orthodoxa de Mysterio Trinitatis quæ Antitrinitarij oppugnant, non posse agnoscere pro Necessariis ad salutem. *Fatentur. ibid.*

Illa dogmata Orthodoxa de Trinitate, non esse educta ex Scriptura per evidentem consequentiam. *Fatentur. ibid.*

Non esse dicendum Anathema Hæreticis qui illa oppugnant. *Fatentur. ibid.*

Eos qui negant illa dogmata esse homines pios, piissimos, sanctissimos. *Fatentur. ibid.*

Veterem Ecclesiam Christianam communionem coluisse cum illis Hæreticis, qui credebant Iesum Christum esse tantum hominem. *Fatentur. ibid.*

Præfationem Symboli Athanasiani hanc, Quicunque vult salvus esse, &c. superbam esse. *Fatentur. ibid.*

Remonstrantes non negant, se non credere mysterium Trinitatis,

tis, quemadmodum Ecclesia Christiana Deum in tribus personis adorans illud credit. *ibid.*

3. Hactenus credidit Ecclesia ex verbo Dei, non solum inter dogmata controversa esse quædam simpliciter necessaria ad salutem; sed etiam ea Controversa quæ simpliciter ad salutem Necessaria non sunt, tamen, quia in verbo Dei fundantur seu Veritatem divinam in se continent, utiliter credi ac teneri imo firmiter, constanter, & fide divina ob causam allatam credenda esse; nec licere veritati tali divinæ contradicere, eam in dubium vocare, ab ea deficere ad falsitatem seu ad mendacium.

At Arminiani in Apologiâ docent:

Nulla dogmata Controversa inter Christianos esse Necessaria ad salutem. *Item:* dogmata quæ etiam in futurum controverti possunt non esse Necessaria. *Hic negant Arminiani, se ita docere; & dicunt se agnoscere controversa quædam dogmata pro Necessariis. Verum enimvero id negant contra propriam conscientiam, ut patet ex verbis eorum clarissimis, & variis locis Apologiæ quæ à me in prima parte Arc. lib. 1. cap. 6. allegata sunt. Quæ causa fuit cur ibi loci non negaverit; sed negent demum capite octavo. Nam capite sexto probaveram evidentissimè eos ita docere. Igitur ibi negare noluerunt; quia cogitarunt, fraudem suam statim & primâ fronte deprehensum iri, siquidem ibi loci negarent; ubi loca allegata reperire & sic ex probatione allatâ confestim eos coarguere licet. At in capite octavo negant, quia in eo capite rem non amplius probavi, sed ut antè probatam sumsi. Unde illi judicarunt, non ita facilè fraudem suam deprehensum iri, si in capite eo octavo illud negarent, quia in eo capite non citavi loca ex quibus res manifestissima sit.* Nunc unus locus saltem sufficiat ad coarguendam improbitatem istorum hominum, unde apparebit eos contra propriam suam conscientiam etiam hoc negare. Reprehenderant eos & quidem merito Cl. Theol. Professores Leydenses in Censurâ Confessionis ideo quod pauca tantum Necessaria ad salutem dicerent & tamen ea

non determinarent. Respondent illi Apolog. Exam. Cens. præf. *Affirmantium* (Theologorum Leydensium) *est probare*; *Negantibus* (Remonstrantibus) *sufficit*, *si dicant se non videre unde aut quomodo præter pauca ista, quæ apud omnes in confesso sunt alia plura adhuc necessaria esse ostendi aut elici possit*. Plura de hac redicentur Par. 4. Arcan. l. 1. c. 8. ex quibus manifestum fiet, in istis hominibus nullam micam candoris & honestatis amplius esse, & eos nullam fidem amplius nec in negocio Religionis quando dicunt se aliquid credere aut non credere, nec in ullâ aliâ re mereri. Quod dicunt jam in Vindiciis, se agnoscere dogmata quædam controversa necessaria ad salutem: in eo quoq; orbi illudunt. Nam præterquam quod in eo suæ Apologiæ contradicunt, & levitatẽ suam in mutatione doctrinę suæ arguunt; etiam hoc est observandum, quod in suis Vindiciis verbis quidẽ præ se ferunt se agnoscere dogmata quædam controversa Necessaria ad salutem, re ipsa autem id negant. Nam describunt Controversa illa Necessaria ad salutẽ inter alia ita, ut doceant hominem etiam absque illis servari posse, prout infra c. 8. indicabitur, & luce clarius meridianâ ostendetur Parte III. l. 2. c. 8. Est'ne hoc dogma necessariũ ad salutem, absq; quo homo adultus qui illud negat & oppugnat salvari potest? An verò h. e. impudẽtissimè & Diabolicâ insolẽtiâ orbi illudere?

Docent præterea Arminiani Controversa vera dogmata non esse firmiter constanterque credenda. *Fatentur, ut patebit ex eâdem parte 4. lib 1. cap. 8.*

Ea esse credenda tantùm certitudine humanâ. *Fatentur ibid.*

Ea rationibus niti, sed quæ à divinis oraculis differunt. *Fatentur, ibid.*

Dogmata quæ rudibus pariter & imperitis obvia non sunt, qualia ipsis sunt dogmata Orthodoxa Antitrinitariis opposita, non sine periculo credi. *Fatentur, ibid.*

De rebus controversis nihil esse decidendum, quod firmiter constanterque Orthodoxis omnibus sit credendum. *Fatentur ibid.*

Licere contradicere veris dogmatis controversis. *Fatentur ibid.*

L *Non*

Non negant, se docere hominem dubitare de rebus fidei. *ibidem.*

Non negant quæ plurimis objecta ipsis erant, quòd doceant contemnere & explodere dogmata vera controversa etiam maximi momenti, ut de Trinitate, de Iustificatione, Peccato originis, & aliis dogmatis quæ Euangelici contra Socinianos tuentur. *ibidem.*

Docent etiam; Licere mutare sententiam suam de rebus Controversis, quoties aliquis vult, imò in horas. *Fatentur ibid.*

Religionem positam non esse in Controversorum dogmatum firmâ fide. *Non negant, ibid.*

Perinde esse sive quis teneat sensum verum in rebus contoversis, sive falsum; ubi decisiones factæ sunt, quibus firmiter est adhærendum. nam utrumque fieri sine judicio, tantùm casu. Adeoque veram sententiam non magis profuturam huic quàm illi obfuturus sit suus error. *Non negant ibid.*

Omnes eos cœtus qui errant circa controversa qualiacunque dogmata esse veram Ecclesiam. *Hic loci etiam non negant, sed infra negabunt contra propriam conscientiam suam.*

4. Porrò objeceram ipsis, eos in dubium vocare multa dogmata quæ Ecclesia contra Socinianos Hæreticos ex verbo DEI tuetur. Atque inter alia hæc: Nimirum, quod dubitent, anne DEUS infinitus & immensus sit adeoque omnipræsens secundùm essentiam. *Fatentur. vid. Par. Arcan. 4. lib. 4. cap. 9.*

Item: quod dubitent de præscientiâ Dei circa futura contingentia *Non negant, sed sicco pede transeunt.*

Item: quod dubitent de adoratione Spiritus Sancti. *Negant, & dicunt, se profiteri Spiritum S. adorandum esse. Verùm negant illud contra propriam conscientiam suam. Nam expressè docent in Apologiâ, de adorando Spiritu S. ne hilum quidem in Scriptura esse, Item, nullum indicium manifestum. Imò in Respon. ad Excerp. dicunt non solùm nullum manifestum indicium in Scripturâ esse ejus rei, sed ne indicium quidem. Denique in Vindiciis profitentur; se*

hoc

hoc nullo præcepto aut exemplo ex Scripturâ probare posse. Estne hoc credere, Spiritum S. esse adorandum?

Objeceram quoque ipsis eos dubitare de Gentilium honestorum statu post hanc vitam. *Fatentur ibid.*

Item, de Principali fine adventus Christi in carnem. *Fatentur ibidem.*

Item; An Deus reprobârit Gentiles qui de Evangelio nunquam quicquam audiverunt? *Fatentur, ibid.*

Item: An'ne Decalogus contineat perfectam vitæ normam, *Fatentur, ibid.*

An'ne Christus Legem tantùm interpretatus sit, an verò eam ut imperfectam novorum præceptorum additone compleverit? *Fatentur ibid.*

An simpliciter vetitum sit, Deum sub ulla forma repræsentare? *Fatentur, ibid.*

An'ne Ecclesia Veteris Testamenti eadem specie fuerit cum Ecclesia Novi Testamenti? *fatentur, ibid.*

An'ne eadem specie fides in Iesum Christum à Deo præscripta fuerit in Veteri Testam. quæ in Novo? *fatentur ibidem.*

Item, se alias ejus generis plures quæstiones in dubio relinquere. *fatentur, ibid.*

Item; An'ne & quomodo Sacramenta efficiant gratiam? *fatentur ibid.*

An'ne & quomodo fides in Iesum Christum locum habuerit in V. Testam? *fatentur ibid.*

An'ne fides in Iesum Christum necessaria fuerit Patribus sub Vet. Testam? *fatentur, ibid.*

An'ne Deus aliquando subministret piis in magna tentatione positis auxilium determinans voluntatem eorum? *fatentur, ibid.*

An'ne eadem numero corpora hominum resurrectura sint, an verò Deus alia sit creaturus? *fatentur, ibid. In summâ fatentur se dubitare de octodecim & pluribus controversiis quas Ecclesia contra Socinianos Hæreticos ex verbo Dei decidit.*

 5. Denique

5. Denique credidit hactenus Ecclesia ex verbo Dei, pietatis seu veri cultus Dei partes duas esse, unam quæ in fide adeoque etiam in vera Dei cognitione consistit, alteram quæ in vitæ Sanctitate posita est. Et quantum ad veram Dei cognitionem attinet, ad eam pertinere dogmata, non solùm quæ extra controversiam sunt inter Christianos, sed etiam Controversa, sive jam hæc sint Necessaria ad salutem, sive non; quia scilicet etiam hæc Deus revelavit in suo verbo. Vnde patet eum qui dogmata controversa vera ad salutem necessaria negliget, contemnit, oppugnat, pium esse ac salvum fieri non posse: qui autem dogmata vera fidei non necessaria ad salutem contemnit & non curat, graviter peccare adversus Deum; cujus veritas eo modo contemnitur & flocci fit.

At Arminiani docent:

Veram cognitionem Dei non esse partem cultus Dei, sed tantùm tale requisitum antecedens, quo etiamsi homo careat in illis quæ controversa sunt inter Christianos, pius tamen esse & salvus fieri possit. *Fatentur. vide ibid. cap.* 10.

Nunc rursus ex his judicate, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, speciatim ex eo quod doctrinam Orthodoxam de Mysterio Trinitatis quam Antitrinitarij oppugnant, Arminiani non agnoscunt esse Necessariam ad salutem, & contendunt licere non Necessaria ad salutem in dubium vocare, iis contradicere: item, quod docent Antitrinitarios esse homines pios, piissimos, Sanctissimos; denique veram cognitionem Dei non esse partem cultus Dei, &c. an non hi homines Libertinismũ & per Libertinismum, introducere velint Socinianismum. Vt jam de dubitationibus eorum circa dogmata alia Orthodoxa tot ac tanta quæ Sociniani oppugnant nihil dicam. Atque hæc quidem sunt dogmata, quæ ipsis objeceram lib. 1. Arcanorũ. Vbi, quod observandum, ex omnibus illis dogmatis quæ ipsis toto libro primo objeceram, non negant directè nisi duo saltem dogmata, eaque contra propriam conscientiam. Ex quo patet me eos calumniatum non

esse

esse, ut illi contra eandem conscientiam scribere audent; sed me egisse ut virum candidum & honestum decet.

CAP. IV.

Alia dogmata Arminianorum hujus generis.

1. *Dogmata Arminianorum* de Ecclesiâ DEI. 2. de professione Religionis. 3. de Ecclesiâ antiquâ, & Regno Christi. 4. de Hæresi. 5. de Tolerantiâ mutuâ.

1. CRedidit hactenus Ecclesia ex verbo Dei, eos cœtus Christianos qui errant in dogmatis Controversis necessarijs ad salutem seu fundamentalibus, non esse veram Ecclesiam; sed falsam oppositam veræ; & ideò inde ab initio usque ad hæc tempora perpetuò fuit agnitum discrimen inter Ecclesiam veram & falsam Christiani nominis, seu non tantùm creditum fuit esse Ecclesiam veram, sed etiam falsam. Unde etiam semper creditum fuit esse notas seu saltem aliquam notam quâ vera Ecclesia à falsâ distinguitur. Et vera quidem Ecclesia externa vocatur ea quæ fundamenta retinet & veritatem docet Necessariam ad salutem, etiamsi ea veritas in controversiam vocetur & oppugnetur ab Hæreticis. Quod si Ecclesia eadem rectè sentiat in dogmatibus omnibus controversis etiam non Necessarijs simpliciter ad salutem, tunc ejus cœtus puri vocantur. Si autem aliqui cœtus rectè sentiant in Coutroversis dogmatis Necessarijs ad salutem, errent autem in Controversis non necessarijs, tunc tales cœtus non sunt Ecclesia falsa, sed sunt Ecclesiæ veræ cœtus impuri. Contrà verò quando cœtus aliquis oppugnat dogmata Controversa aut non Controversa Necessaria ad salutem, tunc talis cœtus non vocatur cœtus impurus, sed Ecclesia falsa, Hæretica.

At Arminiani tollentes discrimen veræ & falsæ Ecclesiæ docent:

Eos omnes coetus Christianos esse veram Ecclesiam, qui tenent dogmata non controversa inter Christianos. Per consequens, Nullum coetum errare in Necessarijs; sed eos coetus qui errant, esse tantùm coetus impuros errantes in non Necessarijs. *Negant Arminiani se ita docere, idque ex eo fundamento, quod dicunt se statuere dogmata quædam Controversa Necessaria ad salutem. Vnde patet eos non posse negare se ita docere, nisi vulnerando rursus conscientiam suam, & contra eam negando se docere, quod reverâ docent, ut dictum. Vide Part.* IV. *Arc. lib.* 2. *c* 1.

Item: Professionem doctrinæ non controversæ inter Christianos esse notam veræ Ecclesiæ. *Negant se ita docere: sed negant ex eodem fundamento, adeoque rursus contra conscientiam suam. ibidem.*

Puram prædicationem verbi non esse notam veræ Ecclesiæ. *Fatentur ibid.*

Denique Nullam esse notam propriè sic dictam veræ Ecclesiæ. *Fatentur, ibid.*

2. Hactenus ex verbo Dei tota Ecclesia, quæ Deum in tribus personis adorat, credidit; hominem non posse salvari in cujuscunque Religionis Christianæ professione; nec debere eum quando scit Religionem aliquam falsam esse, illam profiteri sed veram; nec etiam debere eum deficere à Religione Christiana vera ad falsam, seu mutare Religionem quoties lubet. Denique non esse duas vias salutis, sed unam tantùm, quæ in sola vera Ecclesia reperitur.

At Arminiani postquam semel hoc fundamentum jecerunt; Nulla dogmata controversa inter Christianos esse Necessaria ad salutem; adeoque cœtus errantes in Controversis dogmatis non esse Ecclesiam falsam, sed tantum coetus impuros iam ulterius progrediuntur & docent:

Unumquemque Christianum in quocunque cœtu impuro salvari posse; *Seu ut loquitur Ecclesia Christiana) quamcunque Religionem Christianam profiteatur.* Jtem: posse & debere aliquem

quem interdum etiamsi sciat vel sentiat cœtum in quo est, impurum esse, tamen manere in eo; hoc est, *ut Christiana loquitur Ecclesia, etsi credat aut sciat Religionem aliquam falsam esse, tamen non veram sed falsam profiteri.* Item: Licere sententiam suam circa controversias mutare in horas imò infinities; hoc est, *ut Christiana loquitur Ecclesia deficere à Religione Christianâ unâ ad aliam, quoties lubet.* Ad hæc quid respondeant Arminiani facile judicare est. Non enim negant dogmata ipsa, sed eorum interpretationem quam ex modo loquendi Ecclesiæ adjeci. Eam autem interpretationem negant rursus improbissimè ex eodem fundamento, quod negant contra conscientiam suam se docuisse, dogmata nulla controversa esse necessaria ad salutem. Vid. Part. IV. lib. 2. c. 2.

Docent etiam: Purum cœtum esse viam saltem commodiorem ad salutem, impurum autem esse viam incommodiorem. Adeoque reverâ duas vias salutis statuunt. *Non negant, sed sicco pede transeunt & nihil respondent.* Ibid.

3. Hactenus puræ antiquitatis suffragium inde ab initio contra Hæreticos speciatim Antitrinitarios ex verbo Dei latum pro repagulo habitum fuit, quo illi ab Ecclesiâ Dei abarcerentur, ne eam invaderent. Creditum etiam perpetuò fuit ex verbo Dei regnum Mediatorium Christi subsistere non posse si omnes subditi ejus ab Hæreticis seducerentur.

At Arminiani docent: Puriorem & impuriorem antiquitatem Ecclesiasticam non nisi inanes voces esse. *fatentur. ibid.* c. 3.

Regnum Christi esse posse, etiamsi omnes subditi ejus ab Hæreticis seducerentur. *fatentur, ibid.*

4. Tota Ecclesia quæ profitetur Deum in tribus personis necessariò adorandum esse, perpetuò ex præscripto Dei detestandas esse docuit Hæreses unà cum Hæreticis. Ad Remonstrantes ut liberè Hæreticos speciatim Socinianos introducere possint in Ecclesiam Dei, talia docent quæ horrorem omnibus honestis nedum pijs viris incutiunt. Ne autem quis putet eos

loqui de ijs qui cùm Orthodoxi ſint habentur pro Hæreticis; prout v. g. Pontificii Euangelicos eo loco habent: ſciat Arminianos loqui de ijs quos nos habemus pro Hæreticis, hoc eſt, de ijs qui verè ſic dicti tales ſunt, quales ſunt Antitrinitarij qui à totâ Eccleſiâ Euangelicâ pro Hæreticis meritò habentur. Sic enim expreſsè in Apol. c. 24. f. 278. b. *Quos cenſor* (intelligunt Cl. Proff. Leydenſes) *vocat Hæreticos*. Item fol. 265. a. b. *Loquimur de Hæreticis quos Cenſores ſic vocant*. Alia loca ex quibus idem patet; videre licet Arcan. par. primâ lib. 2. cap. 4. pag. 125. Nunc videamus quæ ſint illa egregia dogmata Arminianorum.

Docent igitur:

Eos non eſſe Hæreticos quos tota Eccleſia Chriſtiana habuit hactenus pro Hæreticis. *Negant, ſed contra conſcientiam ſuam, ut vel ex eo patet, quod fatentur ſe Antitrinitarios non habere pro Hæreticis. ut patebit ibid. c. 4.*

Item: Hodie ſciri non poſſe quis ſit Hæreticus. *Tergiverſantur; & me mendacij arguunt: ita tamen ut ſtatim conceptis verbis fateantur ſe ita docere. Habent enim hi honeſti viri etiam hunc agendi modum in vindiciis ſuis, ut, quando volunt aliquid fateri, dicant me mentiri. Vnde unuſquiſque videt quales hi homines ſint, & quàm nulla reverentia nec Dei, nec hominum ducantur. Ibid.*

Item: Hæreticos lupoſve graves non eſſe niſi odioſa nomina. *Non negant, ſed omittunt & ſicco pede tranſeunt. ibid.*

Hæreſin quæ ſic communiter vocatur, ſeu de quâ quæſtio eſt, qualis eſt Antitrinitariorum, non eſſe peccatum. *fatentur, ibid.*

Eam hæreſin eſſe planè involuntariam. *Non negant ibid.*

Hæreſin de quâ quæſtio eſt, non eſſe opus carnis. *Non negant, ibidem.*

Imò eam ne ſcandalum quidem eſſe. *Non negant ibid.*

Ignorantiam etſi ea culpabilis ſit excuſare à peccato hæreſeos. *Negant ſed contra conſcientiam ſuam; eo prætextu quod dicunt ſe id dixiſſe tantùm ex hypotheſi Becani Ieſuitæ, quod falſum eſſe videre poteſt unuſquiſque ex inſpectione loci Apologiæ a me allegati; nec non quod in Reſponſ. ad E-*

d Excerp. idem docent. Vt patebit ex eodem capite quarto part. IV. *lib.* 2.

Item: Non solùm simplices Hæreticos seu ab alijs seductos non eccare, sed etiam seductores ipsos sine culpâ esse. *Non negant, ibid.*

Et ideò seductores eos odio dignos non esse. *Non negant, sed ariter sicco pede transeunt. ibid.*

Hæreticos non esse impios. *Non negant ibid.*

Nullum Hæreticum esse blasphemum propriè sic dictum. *fa-entur. ibid.*

Hæresin esse innocentiam & quidem summam. *Item*; nullam sse majorem innocentiam quàm Hæreticorum. *fatentur, ibid.*

Nullos minùs peccare quàm Hæreticos, qua tales sunt. *faten-ur, ibidem.*

Hæresin esse perfectam innocentiam, quando Hæreticus ios à se dissentientes tolerat. *fatentur, ibid.*

Hæreticos esse homines legum Christi retinentissimos. *fa-ntur, ibid.*

Hæreticos proscribere esse Christum crucifigere & Barrabam mittere; quando profani, avari, ebriosi non pelluntur. *fatentur, idem.*

Hæreticos esse homines innocentissimos, optimos; carnis mundi osores. *fatentur, ibid.*

Hæreticos esse homines pios, vitæ planè inculpatæ, aliosque pietatem exemplo & suasu suo provocare. *fatentur, ibid.*

Eos esse animas pias, sanctissimas, Christum & Religio-m ejus ex animo amplecti. *Fatentur, ibidem.*

Hæreticos non esse noxios saluti animarum. *Fatentur, ibid.*

Nec esse noxios Ecclesiæ. *fatentur, ibidem.*

Hæresibus & Schismatis januam optimè claudi, quando li-rum exercitium Religionis permittitur Hæreticis & Schisma-is. *Non negant, sed sicco pede transeunt & nihil respondent ut nec cætera quæ in praecedentibus non negarunt, & quæ in sequentibus n negabunt.*

Gravissima pericula imminere Ecclesiæ, speciatim Luthera-

næ quando liberum exercitium Hæreticis non permit tet. *Non negant, & nihil respondent.*

Hæreticos Reip. non esse noxios, sed contrà noxium & periculosum esse Reipublicæ non tolerare eos. *Non negant.*

Hæreticorum tolerantiam Reip. salutarem esse. Negant contra conscientiam suam; ut vel ex eo patet, quod ibidem statim fatentur se docere: *Regna & Respublicas subsistere solo beneficio innocentiæ* hoc est tantùm quia aut varios aut omnis generis Hæreticos & sectas tolerent, hoc enim ibi & infinitis aliis locis vocant *innocentiam. ibid.*

Docent etiam: Si Respublica turbetur ab Hæreticis, id illis crimini dandum non esse. *fatentur, ibidem.*

Eam enim turbationem similem esse turbationi illi quà medicus turbat humores in corpore. *fatentur, ibidem.*

Hæreticos veniam errorum mereri pietate suâ. *Fatentur.*

Et sic salvos fieri æternùm. *fatentur, ibidem.*

5. Hactenus Ecclesia tota ex verbo DEI credidit: Hæreticos vere sic dictos quales sunt Antitrinitarii seu Sociniani non esse membra Ecclesiæ Christi, & sic etiam non posse communionem Spiritualem & fraternitatem cum iis coli seu eos non posse haberi pro membris veræ Ecclesiæ etiamsi alicubi in Rep. tolerentur. Persuadere etiam hactenus Arminiani inde ab initio voluerant Orbi, præsertim autem Vobis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, aliisque Magistratibus Belgii se tolerantiâ mutuâ quam urgebant, nihil quam pacem quærere Ecclesiæ Reformatæ. *At jam Arminiani in Apologiâ suâ larvam ponunt. Nam docent:*

Communionem Spiritualem colendam esse cum omnis generis sectariis & Hæreticis. *Hic rursus, quia effugere aliter non possunt, vulnerant conscientiam suam, & id negant contra eandem ex illo fundamento, quod non doceant Nulla dogmata controversa esse Necessaria ad salutem ibid, cap. 5.*

Deinde docent & urgent Arminiani, communionem Spiritualem præ cæteris omnibus sectis colendam esse cum Socinia-

nis,

nis, & profitentur, quemdamodum ex Apologiâ eorum ostendi, se communionem Spiritualem cum iis colere. *Hoc non negant sed postquam statum quæstionis & accusationem meam ne verbulo quidem proposuissent, tantùm dicunt: (quò is qui Vindicias eorum legit nesciat de quâ re quæstio sit) De Socinianis jam antè sæpius actum. Atqui ego non tàm de Socinianis quàm de Arminianis & eorum communione cum Socinianis egeram. Ad quam gravissimam accusationem illi in totis Vindiciis suis ne verbulo quidem respondent: nec in ullo alio tractatu suo ad probationem à me in Arcanis allatam vel verbo responderunt. Observetur igitur diligenter, quòd cum alibi, (ut in Responsione ad Excerpta dicant se non profiteri se communionem colere cum Socinianis; hîc non negant, nec negare possunt se communionem cum illis colere. Nam locus Apologiæ quo id probavi nimis quàm manifestus est. ibidem.*

Denique Arminiani excludunt ex tolerantiâ illâ mutuâ suâ quam hactenus tantopere venditârunt non solùm Pontificios, sed etiam Lutheranos, & Reformatos, adeoque fere totum orbem Christianum in Europâ: idque ideò quia hi cœtus nolunt communionem colere cum omnis generis Hæreticis & sectariis, sed eos coërcent Magistratus auctoritate suâ. Adeoque in sui communionem reipsâ non admittunt nisi Antitrinitarios, Libertinos & Anabaptistas qui volent: Vnde apparet quàm egregia & ex quam præclaris membris composita sit Ecclesia seu secta Arminiana. Quam ob causam ostendi Arcan. Par. 1. lib. 2. cap. 5. eos toti orbi precipuè autem vobis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, illudere. *Hoc etiam non negant, & ne verbulo quidem ad hanc gravissimam accusationem respondent. ibid.*

Ex quibus rursus judicare potestis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, an'non hi homines Libertinismum & per Libertinismum introducere conentur Socinianismum in Ecclesiam: præsertim autem doctrinâ suâ de Hæresi & Tolerantiâ mutuâ? & an'non si nulla alia causa esset; quàm duo ultima dogmata de Tolerantiâ mutuâ, execrandos se & abominandos reddant toti Ecclesiæ quæ Deum in tribus personis adorat; quia

ita turpiter toti orbi per tot annos venditatione mutuæ Tolerantiæ illudere ausi fuerunt.

CAP. V.

Alia Arminianorum dogmata ejus generis.

1. *De Synodis*, 2. *de ministerio Ecclesiæ.* 3. *de disciplinâ Ecclesiasticâ.* 4. *de Magistratus potestate in rebus Ecclesiasticis.*

1. Quia Synodorum Orthodoxarum ex verbo Dei pronunciantium decisiones Hæreticis speciatim Antitrinitariis impedimento fuêre: quò minus liberè venena sua spargere possent in Ecclesia: hinc illud mediũ conservandæ fidei & Religionis Christianæ planè enervandum & invalidum reddendum putarunt Arminiani, & novam atque inde ab initio inauditam formam habendarum Synodorum nobis præscribunt.

In hunc finem docent Arminiani:

Quascunque personas ad Synodum & judicium in iis ferendum admitti debere, sine ullà missione Ecclesiæ. *Negant sed contra conscientiam suam. Verba enim Apologiæ à me Arcan lib. 2 c. 6. citata clarissima sunt hæc,* cap. 25. fol. 285. b. Tantum abest, ut cùm fidei negocium tractandum est in Synodo, Ecclesiæ missione opus sit, ut contrà Ecclesia judicanda sit perperam agere, cum aliquos eo fine, ut quovis modo decisionem faciant, ad Synodum mittit; Et sic ii qui sic mittantur, aut ab Ecclesia sic mitti se sinunt, provinciam planè indebitam atq; illicitam in se suscipiant. &c. Cujuslibet est sine ulla missione accurrere eo ubi de salutis æterno negocio agitur. Videatur Pars 1 v. Arcan. lib. 2. cap. 6.

Docent etiam; Eos qui ad Synodum veniunt nulli Confessioni aut Ecclesiæ obstrictos esse debere. *Fatentur, ibidem.*

Item: Libertatem plenariam concedendam esse unicuique sine ullo Scrupulo & periculi metu in dubium vocandi quicquid in controversiam vocatur aut vocari potest. *Fatentur, ibidem.*

Synodo

Synodo non licere formare decreta quibus certi aliquid & quod alii credere teneantur de controversiis fidei decidatur. *Fatentur ibidem.*

Synodum non debere convenire in eum finem præcise, ut decidatur more solito controversia in Ecclesia. *fatentur, ibid.*

In Synodo talem saltem decisionem fieri posse, in qua Controversia habeatur pro decisa si judicio Synodi acquiescant dissentientes, non autem habeatur pro decisa si dissentientes non acquiescant. *Non negant, ibidem.*

Decisiones omnium Conciliorum totius Ecclesiæ Veteris & recentis ex verbo Dei factas esse Tyrannicas & noxias. *Fatentur, & persistunt in eâ improbitate & maledicentiâ. ibid.*

Nullas omninò formulas hoc est nulla decreta Synodica nulla Symbola, nullas Confessiones fidei, nullas Catecheses debere decidere quid aliis constanter credendum sit. *Fatentur, ibid.*

Formulas omnes ne quidem pro indicibus certis nedum judicibus verorum sensuum habendas esse. *fatentur, ibid.*

Formulas eas esse debere tantùm indices sententiæ quam auctores earum pro vera habent. *fatentur; ibid.*

Ipsius Symboli Apostolici non meliorem esse rationem quàm aliarum formularum Orthodoxarum. *fatentur, ibid.*

Symbolum Apostolicum non esse præscriptum seu normam secundariã fidei contrà quàm sentit tota Ecclesia. *Non negant, ibid.*

Formulas publicas illas ne quidem infimum locum in Ecclesia habere debere. *Non negant, ibid.*

Decisiones Synodorum etiamsi rectè ex & verbo Dei factæ sint, eos tantùm obligare qui eas veras esse credunt; qui autem id sibi persuadere non possunt, non obligari illis. *fatentur, ibid.*

Neminem postquam acceptavit decretum, teneri illo diutius, quàm eâ lege quatenus & quamdiu ipse in conscientia sua judicavit illud verum esse. *fatentur, ibid.*

Unicuique liberum esse debere recedere à phrasibus formularum publicarum hoc est dogmatis controversis pro lubitu contra

tra quàm ἑτεροδοξίας hoc est *falsæ doctrinæ* accusare debeat. *fatentur, ibidem.*

Eos tantùm esse ἑτεροδόξους qui negant ea quæ puris putis Scripturæ verbis in formula aliquâ expressa sunt. *fatentur, ibidem.*

Liberum esse debere unicuique contradicere formulis Orthodoxis sine ullo scrupulo. *Non negant ibidem.*

Formulas omnes Orthodoxas esse tantùm formulas humanas. *Non negant ibidem.*

2. Inter alia media quæ Deus instituit ad conservationem & propagationem veritatis suæ est Sacrosanctum ministerium. De hoc Ecclesia Christiana hactenus credidit ex verbo Dei, officium ministrorum esse docere non quod rectum ipsis videtur, sed quod reverâ rectum est, hoc est, quod est re ipsâ veritas divina. Præterea Ecclesia tota quæ Deum in tribus personis adorat Anabaptistas id est eos qui negant infantibus Baptismum hactenus noluit in ministerium verbi in Ecclesia admittere. Denique verbum Dei docet, ministerium simpliciter esse præcepti divini.

At Arminiani, ne obex hic etiam ponatur Libertinissimo & Socinianismo docent:

Officium ministrorum esse docere quod rectum ipsis videtur. *fatentur ut videre erit parte 4. Arcan. lib 2. cap. 7.*

Officium ministrorum esse recusare obedientiam Magistratui, quando ipsis videtur contraria verbo Dei præcipere. *fatentur, ibidem.*

Libertatem Prophetandi seu docendi publicè concedendam esse omnibus. *fatentur, ibidem.*

Eos qui negant Pædobaptismum à Deo præceptum esse & nolunt infantes baptizare, seu Anabaptistas ad ministerium verbi admittendos esse *fatentur, saltem negant tales ideò Anabaptistas dicendos esse.*

Ministerium verbi non esse à Deo simpliciter præceptum, seu

non esse Necessarium simpliciter necessitate præcepti. *fatentur, ibidem.*

3. Hæreticos speciatim Antitrinitarios coërcendos disciplinâ Ecclesiasticâ, excommunicandos, & anathema illis dicendum esse, nec non Magistratum monendum esse ab Ecclesiâ, ut officio suo circa eos coërcendos fungatur, perpetuò ex verbo Dei credidit Ecclesia. *Ut igitur Arminiani ad scopum suum pervenire possint, docent:*

Disciplinam Ecclesiasticam exercendam esse sine noxâ. *Fatentur, ut videre licebit Arcan. par. IV. lib. 2. c. 8.*

Hæreticis licere excommunicare veram Ecclesiam. *Negant sed contra conscientiam suam; quemadmodum patet ex verbis Apologiæ à me allegatis quibus id probavi. Ita enim Apolog. c. 24. fol.* 277. 2. Quælibet Secta disciplinam Ecclesiasticam exercere poterit pro dictamine conscientiæ suæ, & quod Nobis in alios idem aliis licebit in Nos. *Vid. ibid.*

Docent etiam præstare fortassis nunquam separare Hæreticum à communione Ecclesiæ quàm ab ea illum separare. *Fatentur ibidem.*

Excommunicationem esse voluntariam tantummodò secessionem ab excommunicato. *Fatentur, ibid.*

Sufficere ad excommunicationem, ut Ecclesia significet excommunicato sibi non licere ampliùs sponte suâ atque ultrò cum illo tanquam cum Christiano sacra facere. *Fatentur, ibid.*

Si excommunicatus obtemperare nolit, cogi Ecclesiam eum admittere ad Sacra. *Fatentur, ibid.*

Non licere Ecclesiæ Magistratum monere, ut Hæreticos coërceat. *Fatentur, ibid.*

Hæreticis Antitrinitarijs anathema dicendum non esse. *Fatentur, ibid.*

Hæreticis silentium imponendum non esse. *Fatentur, ibid.*

Non esse exercendam disciplinam Ecclesiasticam adversum eos quos tota Ecclesia Christiana sic vocat. *fatentur, ibid.*

Manda-

Mandatum sibi Arminiani non vident esse à DEO, ut separent errantes à se, aut ut se ab illis separent. *Fatentur, ibid.*

4. Credidit hactenus Ecclesia ex verbo DEI, ministros seu Pastores Ecclesiæ tunc debere recusare obedientiam Magistratui quando præscriptum Magistratus reverâ est contra verbum DEI. Credidit etiam ex verbo DEI, Magistratui commissam esse curam & protectionem totius puri cultus Dei. Vnde patet eum omni loco sive publico sive privato eam curam exercere debere. Præterea docet verbum DEI eum debere resistere Hæreticis, punire blasphemos & seditiosos Hæreticos etiam capitaliter pro delicti ratione. Denique docet verbum DEI, Magistratui & illius potestati non esse petulanter & scurriliter illudendum.

At contrà docent Arminiani:

Ministros debere Magistratui obedientiam recusare quando in conscientiâ suâ judicat, præscriptum Magistratus repugnare verbo Dei. Vbi observandum eos non excipere casum erroris aut hæreseos, hoc est si minister erret in eo suo judicio aut hæresin doceat. *fatentur, ut videre est Arcan. par. I v. lib. 2. cap. 9.*

Magistratum non debere impedire, quò minus ministri doceant quod rectum ipsis videtur. *Fatentur, ibidem.*

Magistratum posse tàntum prohibere, ne minister doceat in locis publicis, non autem privatis. *Fatentur, ibid.*

Magistratum nullum jus habere prohibendi conventicula privata. *fatentur, ibid.*

Reges, Principes, Magistratus, qui conventicula privata Hæreticorum prohibent, Tyrannidis & injustitiæ crimen incurrere. *fatentur, ibidem.*

Magistratum nullum jus habere prohibendi suis subditis liberam professionem Religionis suæ, sed debere eum unicuique liberam facere Religionem suam, ac illius exercitium unicuique permittere. *fatentur, ibidem.*

Magistra

Magistratum non debere ullo planè modò corporali coërcere Hæreticos. aut ullâ etiam minimâ ratione lædere. *fatentur, ibid.*

Hæreticos pari jure posse coërcere Magistratum qui ipsos coërcere vult. *Negant, sed contra conscientiam suam propriam, ut patet ex verbis Apologiæ in eum finem à me allegatis. Ita enim Apol. cap.* 24. *fol.* 259. *a.* Nulla Carnalis coërcitio, nulla pœna errantibus constituta à Deo est. Nulla ratio recta constitui permittit. Omnes IN SE IPSUM armat, qui in alios quos errare credit, armatur. Par omnium in omnes jus est. Qui sibi jus tribuit coërcendi alios, idem aliis IN IPSUM IDEM IUS VT concedat necesse est. *Vide ibid.*

Magistratum qui Hæreticos ullo modo corporali coërcet, esse carnalem, & vestigiis Ismaëlis insistere; non esse veri Christiani titulo dignum; esse à mitissimo Spiritu Christi prorsus alienum; scelus committere. *Fatentur hæc atrocissima convitia, & in eâ maledicentia persistunt.*

Habere tamen Magistratum hoc duplex jus in Hæreticos, primo ut flagellum è funiculis conficiat, quo eos è templis ejiciat, quemadmodum Christus numularios, emtores & venditores; secundo ut ore, acri objurgatione & verbis ad mortem usque si possit eos reprehendat, quemadmodum Petrus Ananiam & Sapphiram. *Negant hoc rursus contra conscientiam suam, prout ex Apologia clarum est. Sic enim Apol. Cap.* 24. *fol.* 269. *a.* Denique pone ab ejectione vendentium & ementium è templo per flagellum facta rectè colligi ejectionem Hæreticorum Magistratui licitam esse, nihil tamen aliud colligetur, quam ejectionem ex publicis templis ad Magistratum pertinentibus, licitè à Magistratu fieri posse, ET QVIDEM SI NECESSE SIT FLAGELLO E FVNICVLIS ET FVNE FACTO; ulterius aut plus concludere nemo jure potest. At HOC IVS MAGISTRATVI PLENA MANV TRIBVVNT REMONSTRANTES. Hac ergo in parte imitetur Magistratus

Christum. Et fol. 269.b. Si vero Censor etiam velit Petrum hos occidisse verbo, vel vi acris objurgationis suæ, idem posse facere Magistratum, si velit, concludat, & rectè fecerit nec erit mortalium ullus qui refragabitur. Nam si objurgationem illam Deus ratam habeat, & eum qui objurgatur perimat, justam eam fuisse & divinitus approbatam judicabitur. Sin minus, liberum relinquetur objurgatis, objurgationi isti non parere, utpotè ad exemplum Petri non factæ. Sed hoc lene consilium non ferunt, qui nihil nisi scalpra & cauteria, equuleos & carceres spirant. *Ita ibi Arminiani. Vid. ibid.*

Docent etiam Hæreticos puniendos non esse, Si Remp. turbent. *Non negant, sed omittunt & ne verbo quidem respondent ut ad plurima alia dogmata sibi objecta. Ibid.*

Hæreticos contumaciter blasphemos non esse afficiendos blasphemiæ pœna. *Fatentur, ibidem.*

Denique docent, Apostatas ad Iudæos capitali pœna afficiendos non esse. *fatentur ibid. Imo jam docent nullo plane modo à Magistratu puniendos, prout infrà videbimus.*

Nunc etiam ex his judicate, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, an'non hi simulatores Antitrinitarij Libertinismum & per Libertinismum introducere conentur Socinianismum? & an'non speciatim ex dogmatis illis quibus vestram potestatem in rebus Ecclesiasticis conspurcant, si nihil aliud docerent, id luce clarius meridianâ sit?

Atque hæc sunt dogmata quæ ipsis in parte primâ Arcanorum ante hàc à me objecta fuêre, & ad quæ in Vindiciis suis respondent. Unde clarum etiam & manifestum est, me sincerè & candidè cum his hominibus egisse, quandoquidem dogmata ea non negant, exceptis paucis, & iis quidem numero quindecim tantum ex tanto & tam immani numero proposito in utroque libro partis primæ Arcanorum; quæ quindecim dogmata negant contra propriam suam conscientiam, ut ostendi. Ex illis quindecim dogmatibus sunt octo quæ, ut uno eodemque fundamento

nitun-

nituntur, ita ea ex uno eodemque fundamento negant; nimirum, se non docuisse; nulla dogmata controversa esse necessaria ad salutem: adeòque si res tota exactè putetur non negant nisi octo dogmata eaque planè contra conscientiam suam. Unde patet quâ conscientiâ hi homines ausi fuerint mihi calumniæ dicam scribere in ipso fronti spicio libri sui.

Porrò capite decimo Arcanorum lib. 2. ostenderam eos dum Libertinismum seu Atheismum subtilem introducunt in Ecclesiam, etiam Atheismo crasso fenestram aperire patentissimam, & omnem Religionis totius Christianæ amorem & curam, animis hominum excutere. Ad hoc illi infinitâ ferè loquacitate suâ, quam mihi opponunt, aliter elabi non possunt, nisi vulnerando conscientiam suam, præcipuè autem subinde confugiendo ad hanc insignem fraudem, quâ negant se docere; *Nulla dogmata controversa esse Necessaria ad salutem:* prout clarius & hoc & cætera omnia quæ dixi hactenus in libro hoc secundo partis secundæ patebunt ex parte quartâ Arcanorum, ex qua improbitatem horum hominum & quam putida ac deplorata eorum causa sit, unusquisque amplius intelligere poterit.

CAP. VI.

Arcana Nova Arminianorum.

1. *Arcana nova & dogmata varia Arminianorum de Ecclesiâ vera, Verbo Dei, item Ecclesiâ falsa.* 2. *De usu rationis in rebus fidei; rursus de Orthodoxis & Hæreticis.* 3. *Monitio de modo agendi quo Arminiani utuntur in negocio Religionis.*

1. DIxi, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, simulatores hos Antitrinitarios, qui oppressionem omnium Reformatorum

durioribus remediis, ut ipsi loquuntur suscipiendam machinantur; non contentos esse dogmatibus istis quæ ipsis à me Arcanorum parte prima objecta sunt; sed alia æquè aut magis execranda dogmata & arcana in Vindiciis suis proferre. Vidistis specimen eorum Arcanorum novorum libro præcedente, quod specimen consistit in fine duplice quem sibi boni hi viri propositum habent. Nunc cætera exponam, quibus ad finem illum tendunt. Interseram pauca quædam quæ in Responsione novissimâ ad Excerpta Cl. Prof. Leyd. proferunt, ad quæ Lectorem subinde remittunt in Vindiciis suis. Sequar autem ordinem capitum Vindiciarum, ita tamen, ut, quæ ὁμογένεια seu ejusdem generis sunt, ex aliis capitibus depromam & conjungam. Rem verò ita se habere, hoc eos ita docere probabo & candidè coram Deo & hominibus ostendam parte Tertia Arcanorum. Nunc enim ut brevis sim, & rem contraham, requirunt alia multa negotia vestra, *Illustrissimi Domini*, quæ cum hoc maximi momenti negocio pari passu ambulant.

Docent igitur Hæreticos quos Orthodoxi sic vocant v. g. Antitrinitarios pari jure posse se appellare Ecclesiam Christianam, quò Ecclesia Orthodoxa sic vocatur. Eum qui Atheismi, erroris, Hæreseos accusatur ab alio, posse illum pari jure Atheismi, erroris, Hæreseos vicissim accusare. Quando dicitur *Ecclesiam Orthodoxam, veram puram hoc vel illud docere*, dicunt Epitheta *Orthodoxæ, veræ, puræ*, esse tantùm stulta amuleta & veluti armillas maleficarum. Si addatur porrò, Eam Ecclesiam *ex verbo Dei* illud docere; dicunt τὸ ex *verbo Dei* esse saltem *cataplasma & laciniam Reformatoriam*, esse tantùm *prætextum*, & alia hujus generis. Hæresin simplicem esse fictionem potius Theologicam quam rem; *prout isthæc omnia patebunt ex parte 3. lib. 1. cap. 1.* Quibus an non omnem Religionem dubiam reddant, & ludibrio exponant omnia consilia, monita, mandata Magistratus, parentum & aliorum superiorum tam in Politiâ & Oeconomiâ quàm in Ecclesiâ circa negotium Religionis, unicuique dijudicandum relinquo.

Docent etiam Libertinos ſeu qui nulli ſectæ aut cœtui Chriſtiano aut nulli omninò parti in dogmatis inter Chriſtianos controverſis addicti ſunt, eſſe homines probiſſimos; & haud obſcurè fatentur ſe in ſectam ſuam tales ſuſcipere ac ferre, *ut ibidem patebit.*

Docent præterea Hæreticos qui ſic communiter vocantur ſpeciatim Antitrinitarios non obligari ad deponendum errorem ſuum ſeu conſcientiam ſuam erroneam. Antitrinitarios non peccare, quando docent & dicunt Jeſum Chriſtum non habere naturam Divinam, ſeu non eſſe æternum Deum, item, eum non fuiſſe antequam naſceretur ex matre ſuâ, quas tamen blaſphemias Turcicas & Iudaicas Socinianorum meritò & ſummè execratur Eccleſia. Adeòque docent Antitrinitarios ſeu Socinianos non opus habere remiſſione peccatorum eo nomine; *Vid. part.* III. *Arcan. lib.* I. *cap.* 2.

Item: Enthuſiaſtas ipſos & fanaticos nullo planè corporali modò coërcendos eſſe à Magiſtratu, ſed tantum argumentis & rationibus contra eos agendum eſſe. Hæreticos, quos ſic vocat tota Eccleſia, quæ Deum in tribus perſonis adorare ſe profitetur, ideò maximè venerari Scripturam ſacram, quia dignantur eam interpretari. Nec non ideò, quia ſenſum adverſarij credunt eſſe falſum, ſuum autem verum. Bonam conſcientiam eam eſſe, quæ cauſas & rationes ſuæ opinionis habet ac ſeriò aliquid credit, etiamſi id quod credit verbo Dei repugnet. *ibid. cap* 3.

2. Docent etiam; myſteria fidei ſeu dogmata quæ ſupra rationem ſunt, debere ſimul eſſe ſecundum rationem. Quando dicitur dogma aliquod eſſe non ſecundum rationem, nec contra rationem ſed ſupra eam; illud eſſe ignorantiæ aſylum & pertinaciæ κενηζφύγιον. In judicio de Controverſis dogmatis initium non debere fieri à verbo Dei ſed à ratione. Item, quando Controverſia eſt de teſtimonio puræ Antiquitatis, non eſſe eam decidendam ex verbo Dei. Et hæc quidem duo ob eam cauſam, quia verbum Dei ſit controverſum. Docent etiam fidem noſtram ſeu

fidem Christianam niti opere aliquo rationis. Speciatim autem decisionem controversiæ, an Christus natus sit ex substantiâ Virginis Mariæ, necessario petendam esse ex Philosophiâ. Antitrinitarios ideò non levem causam habere hæresium suarum, quia eorum doctrina de Trinitate rationi conformior sit quam Orthodoxa. Ex affectibus humanis nonnunquam decidendas esse controversias Religionis. Fatentur etiam Arminiani, se non à verbo Dei sed à ratione initium fecisse, cùm controversiam ante aliquot annos moverent Ecclesiis Reformatis de prædestinatione & annexis articulis. Arminiani BONOS vocant item FELICISSIMA atque ad OPTIMA QVÆQVE NATA ingenia, qui Christi doctrinam suspectam falsitatis habent, & in Atheismum delabuntur ideo quia veram doctrinam percipere non possunt *ibid. cap.* 4.

Quando Orthodoxi Antitrinitarios nominatim Socinianos vocant *Hæreticos*, & hi vicissim Orthodoxos vocant *Hæreticos*, parem ex utraque parte rationem esse, imò esse lusum quo datatim luditur, & convitium quo in orbem itur. *ibidem cap.* 5.

3. Non prætereundus est modus agendi, quo Arminiani utuntur in negocio Religionis. Nam interdum quando ex suâ re esse putant, dicunt in Scripturâ aliquid non exstare, quia non totidem verbis in eâ exstat. Negant etiam interdum se dixisse, dicere, affirmare aliquid, quia non totidem verbis dixerunt, etsi rem eandem aliis verbis dixerint. Negant etiam interdum Orthodoxos dixisse aliquid, quia non totidem verbis dixerunt. Ex quo videtis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, quid judicandum sit de his hominibus & responsis eorum, speciatim quando interrogantur, an'ne hoc aut illud doceant aut scripserint. Nam quando non iisdem literis & syllabis formata est interrogatio, quibus illi dogma aliquod conceperunt, tunc, ubi è re sua esse putant, negabunt se ita docere, etiamsi rem aliis verbis doceant ac tueantur, & contrariam sententiam nequaquam negent ac oppugnent. *ibid. cap* 5.

CAP. VII.

Alia Arcana ejus generis.

1. *Arcana nova Arminianorum; de mysterio Trinitatis.* 2. *De dogmatis non simpliciter Necessariis ad salutem.*

1. INtellexistis paulò antè, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, quæ sint dogmata Apologiæ Arminianorum de mysterio Trinitatis. Illis non contenti ulterius jam progrediuntur, & quo ea dogmata stabilire possint, & Sacrosanctæ Trinitatis cultum (quæ horum hominum execranda impietas est!) magis ac magis deprimere, *docent*:

Doctrinam Orthodoxam de S S. Trinitatis mysterio, quam Antitrinitarij oppugnant, cœpisse demum cum Concilio Nicéno. Verum illum sensum mysterij Trinitatis non esse sensum literalem illius. Eundem sensum non esse necessariæ, hoc est certissimæ, veritatis. Idque ideò quia ille sensus controversus sit. Hinc, si quis, Antitrinitariorum, qui eum adeóque ipsam Trinitatem oppugnant, pietatem in dubium vocet, ejus pietatem pari jure suspectam esse debere.

Et, ne quid ad cumulum impietatis Antitrinitariæ sibi desit; audent hanc etiam Arij hæresin ex inferis revocare; Christum secundam personam Sacrosanctæ Trinitatis potuisse non obedire Patri suo; *ibid. cap.* 7.

Præterea quoad Tertiam Personam Trinitatis attinet, docent solidè è Scriptura probari non posse, Spiritum Sanctum adorandum esse, *ibid. cap.* 8.

2. Circa alia dogmata Controversa quæ ipsorum doctrina sit, exposui supra cap. 3. *His non contenti docent jam*: Fidem controversorum verorum dogmatum fallibilem esse, seu non esse certissimam, etiam tùm cum in verbo Dei fundata est.

Et

troversa inter Christianos esse Necessaria ad salutem; jam quia vident id nimis odiosum esse & causæ suæ obesse, in Vindiciis suis negare se ita docuisse, & dicere: se agnoscere *dogmata quædam Controversa esse Necessaria ad salutem*. Dixi etiam, eos verbis quidem profiteri se agnoscere dogmata quædam controversa. Necessaria ad salutem, reverâ autem orbi illudere. Præterquam enim quod statuunt, ut supra indicavi, ea Necessaria ad salutem talia esse, ut absque iis homo salvari possit; docent etiam esse illa Necessaria talia ut ei anathema dicendum non sit, qui illa negat. Esse Necessaria talia propter quæ is qui negat ea damnandus non sit, etiamsi ita clara sint, ut ne Atheus quidem ea negare possit, nisi hominem exuat. Necessaria talia, quorum decisio non sit infallibilis, & cui certò acquiescere possit conscientia nostra. Necessaria talia, quæ credenda sint tantùm certitudine humanâ, cui falsum subesse potest, Necessaria talia, circa quæ liceat mutare sententiam suam. Necessaria talia, quæ ab ipso Deo decisa non sunt. Necessaria denique talia, quæ tandem resolvuntur in VIDETUR, hoc est quæ quis *credit* esse Necessaria, ideò quia credit eorum necessitatem in Scripturâ definitam esse. *Vid. Tar.* 111. *Aic. lib.* 2. *cap.* 1.

2. Insuper docent, eum qui manet in aliquo cœtu quem pro impuro habet & ab eo dissentit, mentem tamen suam dissimulat; non debere dici quod externè profiteatur Religionem illius cœtus. Christianum debere erigere novam sectam, quando dogma aliquod novum habet, propter quod nullus alius cœtus eum tolerare vult. Eos qui pro idololatriâ Pontificiâ & aliis erroribus fundamentalibus sanguinem suum profuderunt, salvos esse; & magnum divinæ gloriæ, veritatis & bonæ conscientiæ amorem in illis fuisse. Dubium esse quæ secta aut numero Martyrum aut laude constantiæ & patientiæ eorum triumphet. *ibid. cap.* 2.

3. *Docent etiam* Puræ antiquitatis suffragium non opponendum esse Antitrinitariis, quia antitrinitarius pari jure antiquitatem puram & verbum Dei pro se obtendet. *ibidem cap.* 3.

4. *De Hæresi quæ doceant in Apologiâ, vidimus. Illis non contenti docent jam*: Opus quoddam carnis, & pertinaciam, quam ipsi Arminiani Pontificiis tribuunt esse quidem opus carnis sed in benigniore significatu. Errorem Hæretici etiam illius quem ipsi pro Hæretico habent in se non esse peccatum. Non errorem, sed affectum aliquem vitiosum ex quo error proficiscitur hæresin constituere. Hæreticos ideò homines imo centissimos esse quia nemini noceat Hæresis ipsorum, quam iis solummodò qui aut multâ aut admodum exiguâ reverentiâ Scripturarum & salutis suæ curâ ducuntur. Quando quis ab Hæretico seducitur, id non esse imputandum seductori, sed tantum seducto. Merito dubitandum esse, majus'ne malum ab Hæreticorum Hæresi metuendum sit, an ab exemplo vitæ bonum sperandum? Hæreticos ob vitæ innocentiam Orthodoxis exemplo esse & penè MIRACVLO. Hæreticorum errori ob pietatem eam quâ, ut dictum, aliis penè miraculo sint, nescio quid non condonandum esse. Errorem Hæreticorum perdere aculeum suum, ob studium vitæ emendatioris, quod in illis sit. Vnumquemque potestatem habere censendi & judicandi Hæreticos quos vult. Hæreticos, quando Hæreseos arguuntur idem jus habere in eos qui ipsos Hæreseos damnant. Hæreticos enim, & rectè sentientes pares esse. Turbationem Reip. non proficisci ab Hæreticis, sed à Pastoribus & populis Orthodoxis. Non solum quasdam sectas, sed omnes tolerandas esse. Dubitandum non esse, hominem cum quodam opere carnis, videlicet Hæresi, sine resipiscentiâ veniam à Deo consequi & salvari. Hæreticum quò pertinacior sit, & magis seducere alios laborat, eò minus odio dignum esse. Antitrinitarios pientiores esse iis qui statuunt dogmata Orthodoxa de Trinitate esse necessaria ad salutem. *ibidem*, *cap.* 4.

5. Tolerantiam mutuam seu communionem spiritualem quod attinet: *fatentur* non solum se communionem spiritualem colere cum Socinianis, sed etiam se eo nomine inter alia

punitos

punitos esse, & ab officio docendi remotos in Belgio. *Docent*, doctrinam quam quis credit verbi divini auctoritate niti, non posse esse impiam; etiamsi non solum falsissima sit, sed etjam perniciosissima, imò talis quâ tota societas humana (ipsis Arminianis fatentibus) everti possit. Fieri non posse, ut is, qui doctrinam talem docet eo animo, quod credat eam verbi divini auctoritate niti, impius sit. Quando quis repugnat mandato Dei, id non esse impium, si id mandatum controversum sit. In doctrinâ Christi non pauca occurrere, quæ opinioni falsæ & perniciosæ ingenerandæ & fovendæ facere possunt. Non pauca loca Scripturæ esse, quæ aliquem in errorem imprudenter FACIUNT incidere. Aliquem non ideo statim habendum esse pro idololatra aut impio, qui doctrinam idololatricam aut impiam profitetur. Adeoque communionem merito coli cum tali cœtu qui doctrinam idololatricam aut impiam profitetur. *ibid. cap.* 5.

CAP. IX.

Alia Arcana ejus generis.

1. *Arcana Nova Arminianorum de Synodis seu Ecclesia repræsentativa.* 2. *de ministerio.* 3. *de disciplina Ecclesiastica.* 4. *de Magistratus potestate in rebus Ecclesiasticis.* 5. *Varia Arcana alia.*

1. DE *Synodis non contenti docere quæ supra indicavi, docent jam in vindiciis suis:* Oves non magis teneri obedire Pastoribus suis in rebus fidei, quam Pastores ovibus. Ecclesiam etiamsi

rectè ex verbo Dei dijudicarit controversiam jus tamen non habere silentium imponendi errantibus. Eos omnes tolerandos, qui non acceptant vera dogmata Controversa, modò profiteantur se credere verbis Scripturæ prout jacent, atque suam cuique interpretationem liberam esse relinquendam. Ea dogmata vera quæ controversa sunt, non esse à Deo decisa in verbo ipsius. Synodos eas quæ silentium imponunt errantibus, qui dicunt se puris putis Scripturæ verbis insistere velle & interim rejiciunt dogmata vera controversa, esse nihil aliud quàm conciliabula factiosorum hominum, qui res suas facere volunt. Eas verbum Dei saltem prætexere, reverâ autem mundanas & carnales causas habere. Eos omnes qui silentium imponunt errantibus illis qui phrases Scripturæ prætexunt quibus insistere velint, omnium dissidiorum ac Schismatum in Ecclesiâ auctores esse, item, Tyrannidem humanam in Ecclesiam introducere. Synodos omnes qui non secundùm præscriptum Arminianorum instituuntur esse Conciliabula pertinacium, Schismaticorum conventicula, Principum ac Magistratuum flagella, & ad pacem ac tranquillitatem publicam perturbandam Syncretismos & confœderationes perniciosiores apertâ conspiratione. *ibidem cap. 6.*

2. *Ministerium Ecclesiæ quod attinet, fatentur* inter se esse Ministros qui Pædobaptismum rejiciunt & infantes baptizare nolunt. Et non obscurè produnt esse tria genera ministrorum Arminianorum pro triplici doctrinâ & praxi eorum circa pædobaptismum *ibidem cap. 7.*

3. *Quod disciplinam Ecclesiasticam contra Hereticos exercendam spectat, docent:* Hæreticos non afferre aliud Evangelium, nec Evangelizare aliud quid, præter id quod Apostoli Evangelizarunt. Hæreticos Iesum Christum amare. Iudicium Ecclesiæ contra eos quos Hæreticos esse rectè & convenienter verbo Dei judicavit non obstringere alios quam ipsos judicantes. Hæresin ideò non esse corporali ullo modo coërcendam, quia Hæresis animi morbus sit. Eos qui docent, Hæreticos ullo corporali

modo

modo coërcendos, peccare in Legem naturæ Hæreticos esse & forte anathemate dignos qui Antitrinitariis anathema dicunt. Arminiani se ipsos seperant à communione totius Ecclesiæ quæ Deum in tribus personis adorat. Docent; Tolerare Hæreticos, non esse, tolerare hæresin, sed tollere. Hæreticum ideò probum & innocentem esse quia non vult debitâ operâ errare ut æternum pereat. Hæresin quâ quis αὐτοκατάκριτος hoc est à *se ipso condemnatus est* & voluntariè errat, accedere proximè ad purum putum errorem, si Hæreticus ille probè & inculpatè vivat. Arminiani *docent*, communionem colendam cum quibusdam Hæreticis qui αὐτοκατάκριτοι sunt & voluntariâ Hæresi infecti. *ibidem cap.* 8.

4. *De Magistratus potestate in rebus Ecclesiasticis & coërcendis Hæreticis docent præter superius dicta & ostensa.* Quando quis Hæreseos accusatur, tunc non debere Magistratum procedere ad cognitionem causæ Hæretici; sed ipsum accusatorem interrogare an'non ipse potius Hæreticus sit. (Hic modus agendi, ut hoc obiter dicam, valdè bonus foret pro Arminianis, hoc est simulatoribus Antitrinitariis.) Hæreticos ideò non posse pertinaciæ reos fieri, quia conscientiam obtendunt, & Orthodoxos pertinaciæ vicissim postulant. Eos qui à Religione Christianâ ad Judaismum deficiunt, esse homines vitæ incorruptæ atque incontaminatæ. Eos qui à Christianismo ad Iudaismum deficiunt persistere in cultu unius & veri Dei Israelis: *cùm tamen constet ut hoc addam Judæos non colere Jesum Christum qui est unus ille & verus Deus Israelis veteris cum Patre & Spiritu S.* Sed cum summè blasphement. Iudæorum modernam Religionem esse divinam: *cùm tamen, ut etiam hoc obiter addam, Spiritus Sanctus eam damnet ut ex Epistolis Paulinis presertim videre est.* Eos qui à Christianismo ad Iudaismum deficiunt; nulla planè pœna quæcunque tandem illa sit à Magistratu esse afficiendos. Si Hæretici corporali ullo modo à Magistratu Orthodoxo coërceantur, periculum esse ingens ne inter latrones Christus crucifigatur. Nullum genus hominum fidelius & obedientius

dientius esse Magistratui quam Hæreticæ. Tyrannorum crudelissimè persequentium Orthodoxos & Orthodoxorum coërcentium Hæreticos par jus esse. Orthodoxum Magistratum qui Hæreticos coërcet, justam causam præbere Tyrannis crudelissimis sæviendi in innoxios Orthodoxos. Hæreticos tantùm ideò publicum exercitium Religionis suæ quærere, ne ea suspecta sit ullius seu sceleris seu seditionis. *ibid. cap. 9.*

5. *His omnibus addunt hæc nefanda & turpia dogmata:* introducere in Ecclesiam omnis generis Hæreses quæ sic communiter vocantur ab Ecclesiâ Reformatâ, esse nihil aliud quàm pacem Ecclesiæ procurare. Hæresin quæ sic communiter vocatur esse speciem *visionis* quam Spiritus S. commendat. Quia non omnis generis Hæreticis libertas exercitii permittitur, id causam esse cur Atheorum, Hypocritarum & stupidissimorum hominum infinitus sit numerus. Quia Arminiani non habent verum sensum mysterii Trinitatis pro Necessario ad salutem; hinc contendunt cum negari & oppugnari posse sine notâ Hæreseos & sine crimine impietatis. Eos qui Orthodoxa dogmata Trinitatis quæ negantur ab Hæreticis Socinianis dicunt esse necessaria ad salutem & Arminianos violatæ Religionis totius Christianæ accusant quia ea non agnoscunt pro Necessariis ad salutem: hominibus luculentam occasionem præbere suspicandi *An Deus sit*; item an Religio tota Christi divina sit adeòque efficere ut homines in crassum Atheismum incidant. Quemlibet pari cum omnibus jure sibi veram fidem arrogare posse. *ibid. cap.* 10.

Denique in Conclusione suarum Vindiciarum fatentur: Provincias fœderatas Belgii liberas fore ab intestinis motibus si Arminiani eas non turbent. *Fatentur etiam* ex doctrinâ suâ de quinque articulis fluere dogmata ipsa, quibus Libertinismum & per Libertinismum introducere conantur Socinianismum, & contra fatentur ex nostra doctrinâ de quinque articulis fluere contrarium. *ibid. cap.* 11.

Atque hæc etiam sunt Arcana Nova Arminianorum; quæ ipsis

sis à me non affingi patet ex candore & integritate quâ usum me esse in Arcanorum primâ parte ipsi manifestum faciunt dum non negant plura dogmata quam octo si ea exactè putentur, ex tanto numero, eaque contra propriam conscientiam. Ne tamen cuiquam ullus scrupulus hærere possit, aut Arminiani conquerendi causam habeant, pollicior me brevi *Tertiam partem Arcanorum* luci daturum volente Domino, ex qua rei veritas sole meridiano, quod ajunt clarior fict. Inde transibo ad *Quartam partem Arcanorum* in qua Examen quam breviter fieri potest instituam Vindiciarum quas *primæ parti* opposuére, ex qua parte quarta ut supra innui magis etiam conspicua fiet indicibilis improbitas horum hominum & deploratus status causæ ipsorum ruinam minitantis. Præsertim autem ex eâ parte manifestum fiet hos simulatores Antitrinitarios in conscientia sua malæ causæ & fidei convictos esse, & nihilominus tamen contra propriam conscientiam simul & stimulum calcitrare. Præterea in Vindiciis suis ita desperatam causam defendere, ut in posterum nullam fidem amplius mereantur in negocio Religionis, multo minus, quia ita Deo illudere audent in re ulla alia, quæ certè nunquam potest tanti momenti esse quàm negocium Religionis & salutis. Quibus duobus laboribus ubi per divinam gratiam defunctus fuero; existimo neminem amplius quicquam à me in negocio hoc jure postulare posse. Nec digni sunt hi homines, qui toti Spiritu mendacij, maledicentiæ & crudelitatis aguntur, (ut ex dictis patet & in futurum porro patebit) quibuscum amplius Scriptis aut à me aut ab ullo alio viro honesto agatur. Rem totam Deo tunc permittam & vobis, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, quibus nunc dijudicandum relinquo, an'non hi homines etiam Novis istis Arcanis suis Libertinismum & Socinianorum Turcicas atque execrandas Diabolicas blasphemias earumque blasphemiarum professionem publicam introducere in vestras provincias moliantur.

CAP.

CAP. X.

Conclusio secundæ Partis Arcanorum.

1. *Corollaria novem. In aliis Provinciis extra Belgium quid moliantur Arminiani. 2. Lutherani & Pontificii an habeant materiam insultandi Reformatis ob molimina Arminianorum contra eos. 3. Quis sit amor Patriæ, pacis, &c. Arminianorum Theologorum. 4. Arminianis effugium ademtum, quo hactenus solebant uti circa libellos seditiosos & maledicos. 5. Quis status futurus harum Provinciarum, inmaturè occurratur moliminibus horum hominum? 6. An Jllustrissimi Ordines Arminianorum sectam meritò factionem vocent in Edicto quodam? 7 Arminiani quorum causam agant in patrocinio Hæreticorum? 8. Arminiani Antitrinitariis veteribus similes etiam in hostilitate contra Orthodoxos. 9. Non negligendum esse aut contemnendum hoc periculum ostenditur. 10. Controversiam quam Arminiani moverunt de prædestinatione, esse merum prætextum, ac eos in eà re non agere causam conscientiæ ostenditur. 11. Auctoris scopus circa hos Theologos & eorum populos.*

I. Atque hæc quidem de fine & medijs Arminianismi dicta sufficiant. Ex quibus luce clarius meridiana apparet, quid Arminiani ministri in negocio Religionis, nec non in Reip. statu moliantur. Nam ex una parte apertam professionem Antitrinitariarum sive Socinianarum blasphemiarum introducere conantur, & omnibus viribus in id laborant. Ex altera parte

parte ruinam moliuntur atque oppressionem omnium qui in Belgio Reformatæ Religioni (quam illi Calvinianam vocant & in vindiciis suis expressè *Reformatæ* nomen ei negant) ex animo, non autem simulatoriè, addicti sunt. Manifestum etiam est ex dictis iis quæ à nobis supra dicta sunt; *primo* Arminianos non esse meliore affectu præditos erga exteros Reformatos in quocunque loco terrarum sint. Unde diligenter sibi cavere debent Reges, Principes, Magistratus Reformati ne patiantur irrepere Socinianos hos hæreticos in sua imperia ac territoria. Vident enim ex iis quæ libro primo exposuimus sententiam jam latam ab ipsis contra Reformatas Ecclesias & Respublicas omnes ac singulas, quâ statuunt punitionibus corporalibus coërcendos esse Reformatos tum ob doctrinam seditiosam tum ob facta seditiosa, &c. quæ ipsis malè feriati hi homines affingunt. Videre etiam est, nihil ipsis deesse ad executionem hujus consilii in Belgio, quàm quod aliunde adhuc impediuntur, h. e. quod Magistratus nondum ex animi sententiâ habent. Unde patet eos nec alibi sibi defuturos si vires habeant, præsertim autem si homines sibi addictos infercire regimini possint.

2. Secundo quâ in re eos, qui aut Lutheranæ aut Romanensi Religioni sunt addicti, & fortè hæc nostra lecturi, oro ut ne Reformatis insultēt eo nomine, quod Arminianos videant talia moliri in Reformatorum perniciem. Sciant enim meliorem suam conditionem non fore in iis locis in quibus Arminiani rerum potientur. Patet id ex eo, quod in genere omnes illos qui Hæreticos corporali aliquo modo coërcendos esse docent, dicunt Tyrannidem introducere & dignos sese reddere suopte judicio qui noxæ (coërcitionis) istius experimento discant sapere aliquando & Hæreticorum misereri. Nam quemadmodum me (quem quando nominant circa ea quæ me particulatim non concernunt, intelligunt vel omnes Reformatos Doctores, vel promiscuè omnes Reformatos, interdum omnes eos qui Socinianos tolerare nolunt) pronunciant vindiciarum lib. 2. c. 6. p. 130. dignum esse qui experiar Tyrannidem talem qua'i Pontificii utuntur erga omnes promiscuè Evangelicos, *si quando fortè sententia*, inquiunt, *tibi dicenda erit in Synodo Lutheranâ, Pontificiâ, Anabaptisticâ* ET QUAVIS ALIA

(ne quidem Arminianâ excepta, ubi ea secta rerum potietur) *qua dogmata tua pro falsis noxiis & verbo Dei repugnantibus habet, eaque de plano damnat*: ita pronunciant, omnes eos qui doctrinam ipsorum de Hæreticis nullo modo corporali coërcendis non probant, corporali coërcitione dignos sese reddere. Dixeram ego Arminianos disciplinam Ecclesiasticâ evertere reverâ dum in genere requirunt ut ea citra noxam (quâ voce quid intelligant videatur Arcan. lib. 2. c. 8.) cujusquam exerceatur. Respondent illi Vindic. lib. 2. c. 8. p. 148. *Hoc quin de noxâ corporali intelligant Remonstrantes dubium non est. Tantum autem abest, ut hoc modo disciplinam Ecclesiasticam in nihilum redigi credant, ut contra credant* EOS QUI HUNC MODUM NON PROBANT *non modò in disciplinæ Christianæ locum in Ecclesiam introducere Tyrannidem quam in aliis damnant, sed etiam* DIGNOS SESE REDDERE *suopte judicio, qui noxæ istius* (hoc est coërcitionis corporalis) *experimento discant sapere aliquando & aliorum misereri*: En igitur sententiam pronunciatam adversum omnes non solum Reformatos, sed etiam reliquos omnes cœtus qui Deum in tribus personis adorant, hoc est Lutheranos & Romanenses. Inter hos enim nullus est, qui probet doctrinam Arminianam quâ volunt Hæreticis nullo planè modo corporali resisti debere.

Huc pertinet quod, etsi nullâ omninò corporali coërcitione coërcendos essese & manifestos Antitrinitarios aliosque Hæreticos contendant; tamen, ut liberè aliquando, ubi id in ipsorum potestate erit, sævire & grassari in eos possint qui ad ipsorum arbitrium se componere nolunt; fenestram sibi relinquunt quâ evadere possint; dum causam coërcitionis propter quam dicunt durioribus remediis interdum utendum esse contra quosdam, adeò latam faciunt, ut unicuique, cui volent eam adaptare possint. inter alias enim causas ponunt Schisma supra ut vidimus lib. 1. cap. 7. Iam autem omnis Hæreticus (quales ipsi sunt omnes qui statuunt Antitrinitarios coërcendos esse, adeoque & Lutherani & Pontificii, Schisma ad minimum committit quandoquidem Ecclesiæ unionem rumpit. Huc referendum est quod illos omnes qui Synodos non instituunt ad eam normam quam ipsi præscribunt habent pro factiosis hominibus & perturbatoribus Reip. prout indicavimus capite præcedente, Se-
ctione

ctione primâ. Tales autem dicunt durioribus remediis coërcendos esse. Vident igitur & alii Evangelici, & verò Pontificii, se non habere occasionem insultandi Reformatis ob ea quæ Arminiani contra ipsos moliuntur.

3. *Deinde* patet ex dictis, quis sit ille amor Reformatæ Religionis, nec non Patriæ, concordiæ, pacis, fidelitatis erga Magistratum; de quibus virtutibus suis tantoperè gloriantur, tùm in cæteris Scriptis suis, tùm in Vindiciis suis præsertim in Epistola dedicatoria.

4. *Quartò* manifestum fit inane esse effugium, quo hactenus usi sunt Arminiani Theologi quoties nostri conquesti fuêre de libellis ipsorum Belgicis redolentibus blasphemias Socinianas; plenis maledicentiæ, contumeliæ, virulentiæ, odii contra Reges, Principes, Magistratus Reformatos exteros & domesticos; Seditiosissimorum etiam & turbulentissimorum sermonum, consiliorum, minarum contra Reformatos. Tunc enim solent respondere, sibi non esse imputanda talia Scripta; profecta quippe esse saltem ab uno aut altero privatim. Hoc, inquam, effugio uti amplius non possunt. Inspiciantur enim convitia, calumniæ, contumeliæ, minæ, seditiosi sermones, exasperationes & irritationes populorum suorum; consilia crudelia & molimina eorum in istis libellis contenta; & conferantur cum Scriptis publico omnium nomine editis, speciatim cum Apologia, Respons. ad Excerpta, & Vindiciis, ac deprehendetur eadem contineri in his ipsorum Scriptis omnium Arminianorum Theologorum nomine editis. Deprehendetur etiam ea quæ in istis libellis exspuerunt, fluere ex principiis & nitiillis axiomatis quæ in illis Scriptis omnium nomine editis continentur. Me verum dicere patet vel ex his quæ modò à nobis in ipsorum Vindiciis & Resp. ad Excerp, sunt commemorata; ac conferantur cum iis quæ dicunt in libello Belgico edito ante Sexennium hoc est anno 1627. de Libero cultu Divino p.43. ubi respondentes iis quæ Dn. Doucherius p. m. dixerat de armis sumtis ab Illustrissimis Ordinibus pro Religione Reformatâ, *dicũt eâ ratione gladium dari Remonstrantibus in manus, & potestatem insurgendi adversus Vos Illustrissimi & Potentissimi Domini, atque extorquendi vobis vi & armis libertatem Religionis,* quam dicunt *sibi, ereptam Edictis vestris* quæ ibi vocant *crudelia & inhumana.*

humana. Nam inquiunt, *hoc jus Remonstrantium est, ex hypothesi Douchierii. Est enim jus commune, quod æquè ad omnes sectas pertinet. Ratio hæc est. Aut omnibus liberum esse debet arma sumere pro suâ Religione, aut nemini. Nullius conscientia privilegium habet præ conscientiâ alterius. Nemo judex est alterius conscientiæ.* Et Paulò post: *Agite igitur, Heroës Remonstrantici: Vos vim patimini, vos impedimini in libero Exercitio Religionis vestræ à Calvinisticâ &* Dordracenâ *turpi progenie &c. si fidem habetis quæ per bona opera, per charitatem, per Zelum pro vestrâ Religione pro libertate conscientiæ vestræ efficax est & operatur, quàm potestis fortiter aggredimini & percutite istos homines, quod S. Valentinus faxit &c.* Item in speculo suo crystallino dicunt: *se malle vivere sub jugo Hispanico quàm Genevensi; & malle castigari à vero & naturali Patre, quàm à vitrico.* Vt jam non meminerim plurimorum similium scriptorum quæ ex officina exedræ hujus profecta sunt; Eant jam & prætextu illo fraudulento illudere orbi in futurum conentur, quandoquidem in Scriptis illis publico omnium nomine editis principia eadem, easdem maximas, eadem consilia, eandem virulentiam, eandem maledicentiam, eosdem seditiosissimos sermones habent.

Smiter op dat tet Sint Velten hasl, &c.

5. Quinto patet, quo in loco futura sit facies harum provinciarum nisi maturè & eâ quâ par est, hoc est quæ in vobis per Dei gratiam summè relucet, prudentiâ moliminibus horum hominum occurratur. Nam Reformatorum oppressionem suscipere in his provinciis est Remp. totam evertere, quemadmodum ipsi Arminiani fatentur, ut suprà vidimus. Quod quia agnoscunt, & tamen oppressionem eorum moliuntur; manifestum est quid de crudelissimo animo & perniciosissima indole horum Theologorum sit sentiendum. Ex altera parte Socinianismi professionem in Ecclesiam introducere est, non jam Religionem tantùm Reformatam sed omnem Religionem Christianam evertere, & Turcismi fundamentum ponere; uno verbo, Religionis Christianæ non nisi inane nomen relinquere, adeoque nos & posteritatem nostram veri & unius Dei cognitione, ac salute æternâ privare.

6. Sexto clarum est ex iis quæ de molitione eorum contra Reformatos commemoravi; Vos, Illustrissimi Domini, meritò in edicto vestro nominâsse sectam hanc *factionem in statu vestræ Reipublicæ:*

adco.

adeoque hos Socinianos Hæreticós insigni injuriâ & intolerandâ contumeliâ vos qui Majestatem harum Provinciarum refertis afficere, dum vobis respondere audent: *Tosse fieri ut factio sit crimen eorum qui factionem vocant.* Ipsis profectò, ut ex dictis constat, nomen hoc factionis quasi ex Edicto vestro competit, non minus verè, quàm iis etiam tanquàm Antitrinitariis nomen *Hæreticorum* convenit, quo vocari eos Imperator Theodosius M. edicto jussit, ut apud Sozomenum videre est. *Sozom. lib. 8. cap. 4.*

7. Septimo manifestum est, Arminianos omnia quæ pro Hæreticis speciatim Antitrinitariis dicunt, hoc est, de permittendo ipsis libero exercitio Religionis, de iis non coërcendis à Magistratu &c. dicere pro se & causa sua propria.

8. Octavo patet, Arminianos ministros Antitrinitariorum indolem cum doctrina eorum habere etiam in eo, quod Reformatorum oppressionem moliuntur. Nam ut Antitrinitarii jurat hostes Ecclesiæ sunt & ejus persequutores crudelissimi ubi rerum potiuntur: ita jam constat Arminianos pari mente præditos esse. Et quemadmodum simulatores noxii sunt in eo Magistratui qui eos tolerat, ut supra ostensum, quod oppressionem ejus moliuntur: ita etiam Arminianos hoc est simulatores hos Antitrinitarios idem adversum vos qui eos hactenus tolerâstis, machinari, est manifestum.

9. Nono evidens ex dictis est, non negligendum esse periculum aut contemnendum, quod Ecclesiæ & Reip. ex his molitionibus Arminianæ factionis imminet. Nam ex unâ parte Socinianismum introducere invento callidissimo, stratagemate versutissimo, medio plausibili valde conantur, ut ostendi lib. 2. cap. 1. Ex altera parte, ipsis vires suæ adeò placent ut non erubescant profiteri se satis potentes esse ad turbandam Rempublicam. Atque eo minus id negligendum est: quod ut potentiam suam augeant, Religionem talem jam formant, quâ ad se pertrahere omnis generis & sectæ homines conantur. Quæ profectò via est, ut suprà dixi ad validam & improbissimam factionem fo mandam ac confirmandam accommodatissima.

10. Decimo manifestissimum est jam, Controversiam quam de quinque Articulis moverunt Reformatis, non esse nisi merum præ-

textũ, & longè eos aliud moliri, quàm ut veritatem quam venditant doctrinæ illius restituant ac defendant. Patet enim ex iis quæ hactenus exposuimus, hos homines Socinianismi blasphemias & professionem introducere velle; & in cæteras fibulas Religionis adeò laxare ut manifestum sit eos non agere causam conscientiæ circa quinque articulos, sed hoc moliri ut factionem suam stabiliant, & omnia sursum deorsum vertant. Quid enim opus habent urgere doctrinam illam suam de quinque articulis, quam ipsi (ut Arcan. lib. 2. c. 11. ostendi & exinde probavi eos non mereri amplius fidem apud populos suos, ad quod illi in Vindiciis suis ne verbo quidem respondent) dicunt talem esse, quæ firmiter constanterque credenda non sit, item in quâ licet annuam, menstruam, horatiam fidem habere; talem porrò quæ non nititur oraculis divinis; quam in dubiũ vocare licet; in quâ denique ipsi fatentur in his Vindiciis suis se initiò statim non à Scriptura sed à ratione incepisse &c. Quare etiam ex hoc manifestum est hos homines conscientiæ causam circa quinque articulos nequaquam agere.

11. Vndecimò ex dictis manifestum est; quandoquidem Hæreticis Antitrinitariis seu Socinianis tota Ecclesia quæ Deum in tribus personis adorat tenetur, ex præscripto verbi Divini observato in hunc usque diem, anathema dicere & eos execrari; & verò jam luce clarius meridianâ patet Arminianos ministros dum simulant Orthodoxam doctrinam de Trinitate, Socinianæ hæresi ex animo addictos esse: manifestum, inquam, est, esse officii omnium qui Iesu Christi veri & æterni Dei totiusque adeo Sacro Sanctæ Trinitatis gloriam ac cultum verè amant; execrari Arminianos Ministros & iis anathema dicere; quò ita participes se non reddant istius impietatis Turcicæ & Socinianæ, sed aliquando coram tribunali Iesu Christi consistere possint testimonium ipsis reddente conscientiâ sua, se eo, quo par est Zelo ipsius gloriæ (quâ hi homines cum spoliare conantur) affectos fuisse; & ea ratione hos homines ad pœnitentiam fortè adducant, qui quidem etiam finis anathematizationis est, ut Scriptura Sacra docet.

Quæ cum ita sint, *Illustrissimi & Potentissimi Domini*, dubium non est

est quin pro summa Vestra prudentia optimè videatis quid in hoc tanti momenti negocio sit agendum. Prædixerunt nobis Arminiani, se omnes qui Reformatæ Religioni ex animo addicti sunt & non per simulationē cœtibus nostris ab ipsis intrusi, opprimere velle. Quod si igitur hanc rem negligeremus, tùm dubium non est quin ipsi ad scopum suum perventuri essent, & Deus nos in manus eorum daturus foret. At tùm quidem non tàm de Arminianis quàm de nobis, ipsis conqueri haberemus. Prædixerunt enim nobis, quid nobis facturi sint. Adeoque sanguis posteritatis & sobilis innocentis nostræ super nos foret, cujus tamen major ratio nobis quàm nostrimet habenda est. *Quis enim*, ut non minus paternè quàm verè Tertullianus ait, *non magis filiorum salutem quàm suam curet?* Quæ res me movit, ut cùm hæc molimina Arminianorum tam circa Religionem quàm circa Reformatos omnes adeòque Remp. & Ecclesiam intellexissem ex ipsorum proprio indicio hoc est Vindiciis præsertim ipsorum; ea dissimulare nefas duxerim. Protestor hic coram DEO & Augusto vestro conspectu me à sævitiâ omni abhorrere, nec ejus suasorem unquam esse velle. Nec mihi sumo libertatem pronunciandi quid hi Theologi Sociniani merentur. Hanc libertatem iis relinquo, qui, quia veritatem dixi, scribunt me exiliò, imò crudelissima persecutione & Tyrannide dignum esse. Hanc libertatem iis relinquo, qui adeò feroces sunt ut ipsi, cum Sociniani sint, vestræ celsitudini suadere ausint; ut me ob doctrinam quam adversum eos cum omnibus cœtibus qui Deum in tribus personis adorant, de Hæreticis coërcendis profiteor, me inquam (qui Socinianus non sum sed veræ Religioni Reformatæ addictus ac officio ad quod Deus me vocavit fungi pro viribus ad Ecclesiæ & Reip. tranquillitatem conor) his provinciis ejiciant & Genevam redire jubeant. Hanc libertatem iis relinquo, qui in dedicatione Vindiciarum suarum fol. 3. b. sententiam adversus semet pronunciantes dicunt: *Indigni sumus aëre isto, si Patriæ saluti atque incolumitati vobiscum non studemus.* Hanc denique libertatem iis relinquo qui ibidem dicunt: *Enimverò si ea credimus ac dicimus, quæ non modo Religionis totius Christianæ internecionem sed & Reip. Vestræ totiusque adeò Patriæ nostræ ruinam necessariò secum trahunt; digni certè sumus non vestro tantùm sed publico omnium*

Tertul. adv. Marc. lib. 2. c. 15.

omnium odio; nec causam dicimus in foro vestro, saeviat in nos vestra & publica omnium ira, sine gratia, sine venia.

Me quod attinet; ego ea quæ dixi non alio fine exposui, quàm ut manifestum fiat quid hi homines circa Religionem ac Remp. adeoque Ecclesiam totam Christianam speciatim autem Reformatã moliantur: & quàm necessarium sit ut eorum molimina præveniantur. Id quod *sine ullo sanguine, sine ullo motu sine ullo periculo Reip per Dei gratiam ac vestram nec non Heroïs & Illustrissimi Principis Arausionensis prudentiam* fieri posse certum est. Non enim sævitiâ sed justitiâ, prudentia, consilio & vigilantia vulnera talia curari, perniciosa consilia dissipari, pacem Reip. restitui, infinitorum malorum Iliadem evitari, experientia Veteris præsertim Ecclesiæ docet. Populis & aliis honestis viris quos hi homines in suas partes pertrahunt, maxima ab ipsis fit injuria: de quibus ego etiam nihil jam ad vos conqueror. Ea quæ hic à me dicta sunt, non nisi de Theologis istis paucis numero & nulla re æstimãdis hominibus, Socinianis, dico, qui turpiter imponunt populis suis. Hi enim doctores suos nondum norunt: putant quippe se doceri ab iis qui ab Ecclesiis Reformatis dissentiant tantum in quinque articulis & ob eos à nobis secesserint: sed quales hi homines in doctrina sint, vel ex hoc solo tractatu cognosci potest. Ipsos Theologos quod attinet, ii justam de me conquerendi, mihi irascendi & maledicendi (ut hactenu fecêre) occasionem non habent quod molimina eorum & dogmata execranda profero. Nam si noluissent ea à me dici, non debebant ipsi ea scripsisse. Sibi igitur imputent, quibus prædixeràm fore ut magis etiam detegerent Arcana sua dogmata & consilia, ubi responderint. Qua in re profectò operam dedêre quemadmodum unusquisque videt, ne me mendacem redderent.

DEVM OPT. MAX. toto animo veneror; ut Vos, *Illustrissimi & Potentissimi Domini* cum Illustrissimo & fortissimo & gloriosissimo Principe Arausionense totumque fœderatum Belgium à nefariis & perniciosissimis artibus ac moliminibus horum hominum præservet; quod non fiet, nisi prudentiâ vigilantiâ, fortitudine & pietate vestrâ absque diuturniore morâ præveniantur. Videtis agi causam Filii Dei, salutem, incolumitatem, prosperitatem vestram, vestrarum familiarum ac liberorum; in summâ, pacem, tranquillitatem ac conservationem Reipublicæ: quam ut Vobiscum incolumem Iesus Christus unus verus & æternus Deus (cujus hi miseri homines hostes sunt) cum Patre & SpirituS. præstet, devotâ mente oro.

FINIS.

APPENDIX

Secundæ Partis;

Ad

PIUM LECTOREM.

PROPOSUI, pie Lector, libro priore Partis Secundæ cap. 2. & 3. argumenta solidissima, quibus ostendi Arminianos ministros simulare quidem doctrinam Orthodoxam de Trinitate, reverâ autem & ex animo Socinianorum blasphemiis contra S. S. Trinitatem addictos esse. Adjunge illis argumentis aliud, ex eo petitum quòd Vind. lib. 1. cap. 7. p. 37. 38. dicunt doctrinam de Trinitate quam Antitrinitarii oppugnant cœpisse demum & ortam esse cum Concilio Niceno, prout videre est Parte III. Arcan. lib. 1. c. 7. §. 1. quò Lector veritatis cupidus haud gravatim recurret.

Eodem libro cap. 4. p. 27. dixi Socinianos hac quoque hæresi laborare, quòd mysterium Trinitatis etiam quatenus extra controversiam est seu prout jacet, non habent pro necessario ad salutem, ut Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Jesum Christum esse Filium Dei unigenitum; Spiritum S. esse Deum. Ne quis de eâ re dubitet, en verba Catecheseos ipsorum cap. 1. de cognitione Dei quæst. 3. p. 29. edit. Racoviensis anno 1612. *Quæ sunt illa, quæ essentiam Dei concernunt, & ad salutem simpliciter necessaria sunt?* Respon. *Sunt hæc: nôsse quòd Deus sit, quòd unus tantùm, quod æternus, perfectè justus, perfectè sapiens, & perfectè potens sit.* Et pag. 36. quærunt: *Dic mihi nunc etiam, quænam sint illa quæ ad essentiam Dei pertinent, & ad salutem valdè utilia sunt?* Respon. *Inter alia hoc præcipuum est, nôsse in essentiâ divinâ unam tantùm personam esse.* Ubi unusquisque videt, Socinianos vocem Essentiæ latè sumere, & eâ doctrinam de Patre Filio & Spiritu S. comprehendere: atque ex necessariis excludere eam etiam quatenus extra controversiam est.

Eodem libro primo partis secundæ c. 5. p. 33. l. 28. postquàm dixissem certissimum esse, eos qui cum Hæreticis communicant puros non esse ab erroribus eorum; addidi hoc ita verum esse ut ipsi Arminiani id fateantur Vindic. lib. 2. c. 4. p. 104. ubi verba eorum (quorum initium tantùm capite nostro allegato 5. p. 33. expressum est) integra hæc sunt: *Secedite ab iis, qui Hæretici vobis videntur. Res vestras vobis habete. Ostendite vos puros esse ab erroribus eorum per secessionem & segregationem vestri ab iis & eorum cœtibus.*

Cæterùm haud gravatim præstabis Typographo hanc gratiam, ut ERRATA, quæ operarum diligentiam in Parte Secundâ fugerunt, hæc corrigas. Lege p. 25. lin. 23. *hominum hæresin sepultam.* p. 38. l. 16. *Reipublicæ huius.* ibid. l. 28. *irritant interim jam antè nimium quantum exacerbatos animos Pontificiorum & plurimorum Lutheranorum.* p. 44. l. 8. *ingratiis.* p. 46. l. 14. *inquiunt: justum.* p. 56. l. 4. *ad Alex. Constantinopolitanum.* p. 63. l. 28. *ex parte Tertiâ.* p. 64. l. 22. *affectui erga.* p. 74. l. 24. *verba sua quàm.* p. 91. l. ult. *pro lubitu citrà quàm.* p. 92. l. 1. *accusari debeat.* p. 106. l. 9. *nullâ aut admodum.* p. 110, l. 1. *quàm Hæreticos.* p. 118. l. 4. *in cæteris fibulas.* Vale pie Lector & ora Deum ut dissipet machinationes Diaboli & consilia Hæreticorum Antitrinitariorum quæ illi contra Religionem Christianam & Rempublicam formârunt. Et verò ipse si Filium Dei unum illum & æternum Deum cum Patre & Spiritu S. amas, pro vocationis tuæ normâ & modo istis moliminibus secundùm Deum obsiste.

FINIS.